

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Da. 14. 1

(7)
DE BAR
BARIÆ IMMINE-
TE SYLVVA ORATIONIS
recitatae à

Casparo Hofmano Philoso-
phiae & Medicæ artis Doctore,

*Cum honestis & eruditis aliquot viris
scholasticæ dignitatis tituli in Aca-
demia Francofordiana tri-
buerentur.*



FRANCOFORDIÆ AD ODERAM
IN OFFICINA IOHANNIS
EICHORNII
Anno M. D. LXXVIII.

MAGNIFICIS VI-

RIS, DIGNITATE, SAPIENTIA

& virtute excellentissimis, legumq; scientia, usu rerum

& liberali eruditione excultissimis Dn. LAMPERO

TO DISTELMEIER, & Dn. ADRIANO

ALBINO, I. V. Docto. Illustriss. Elect. Brandeb:

Cancellarijs, patronis & amicis suo plurimo

semper reuerentiæ cultu obser-

uandis S.



A nunc est Magni-

fici viri rerum huma-

narum infelicitas & ad

ruinam pronitas, vt pas-

sim omnia plena sint,

non tantum anxius ho-

minum querelis, verum etiam tristibus

sapientum futura preudentium vaticis-

nijs, & vulgi quoq; mala sua presagien-

tis ominib. quasi horribilis reru omni-

um confusio immineat, quæ & nos ex-

citura, & posteritatem grauitè affli-

ctura sit. Quocunq; enim oculi vertan-

tur, nihil vsquam spei melioris affulget;

quin potius omnia & publica & priua-

A 2

ta, tam

ta, tam sacra quam profana videntur in
peius ruere & retro sublapſa referri.
Eſſi autem voce diuina prædictum eſt,
extremis temporibus triſtiſſimas con-
fuſiones exorituras, & nil niſi mala o-
mnis generis vrgentia & inextricabi-
lia expectanda eſſe, nec humanæ opis
eſt hæc fatalia auertere: tamen prodeſt
animum attollere ad conſiderationem
difficultatum in Repub: Eccleſia, & no-
ſtris ipſorum rebus & ſtudijs, vt deſor-
mis illa rerum omnium facies & malo-
rum impendentium horror, ad ſeriam
reſipiſcentiam nos impellat, vt agnita
turpitudine noſtra perculſi animis, iu-
ſtiſſimam iram mox vêturi iudicis de-
precemur. Deinde æquum eſt, vt pro
ſua quiſq; facultate & officio rebus ſic
laborâtibus & exulceratis, ſi non opem
& medelam, nihilominus ſubſidijs aut
anodynialiquid adferre ſtudeat: Hi ve-
rò quibus id negatum eſt, affici tamen
& dolere ſe teſtentur, alijsq; ad conſi-
derationem tantarum rerum incitamē-
to ſint. Quam ob cauſam cum hoc tem-
pore

pore, (quo nondum Philosophicū col-
legium deserui,) Decani munus in me
translatum esset, idq; pro more oratio-
nem requireret quæ publicè habere-
tur, duxi ab officio meo minimè alie-
num esse, si iuventutem futurorum im-
prouidam, & in præsentia tantum in-
tuentem, de periculis Reip. Ecclesiæ et
Scholarum commone facerem, & quid
in quoq; statu sapientes desiderant ex-
ponerem: appariturū inde existimans,
quo loco res nostræ sint, & q̄ non pro-
cul absumus à deformi barbarie. Ex ea
quoq; narratione hæc secutura videba-
tur utilitas, quod primum adolescen-
tes (quos nondum vsus rerum, pericu-
lorum animaduersionem edocuit) co-
gnito discrimine in quo publica salus
& reliquarum rerum omnium cardo
vertitur, animum promptius ad pieta-
tem inclinaturi, & mores ad modesti-
am composituri essent. Nec dubitabā,
quin ipsa barbariei turpitudine horrorē
incussura esset honestis ingenijs & per-
motura adolescentes ad studia sapien-

ter instituenda, ad diligens styli exerci-
tium, ad cognitionis rerum solidæ cu-
piditatem, denique repressurus audaci-
am ad superiora studia festinantium, non
dum à Philosophicis artibus perpolita
lingua, & exulto iudicio. Quæ omnia
nisi aliter instituuntur barbariem attra-
ctura & acceleratura non immerito
existimantur. Percursuro etiam mihi
status hominum inferendæ subinde vi-
debantur imagines laudabiliter se in
officio suo gerentium, veluti sunt ex-
emplar boni gubernatoris, professoris,
studiosi, Ecclesiastæ, iurisperiti & me-
dici, ut ex antithesi culpabili clarius elu-
ceret, quantum ab hac specie abessent
officij sui desertores. Hoc consilio tur-
multuaría opera, inter multas occupa-
tiones, notaueram quædam in carthis,
quemadmodum in mentem & calamum
veniebant, ut ad manum essent, oratio-
nem his de rebus concinnaturo, de e-
dendo interim nihilo magis cogitans,
quam de meipso suspendendo. Ac feci
sanè verba in hanc sententiam publicè,
quan-

quantum quidem me angustia temporis dicere permisit. Cæterum non defu erunt, qui reliqua etiam à me præterita flagitarent, & quæ notaueram nescio quid secuti typis describi vellent. Id verò minimè committendum ratus, vt syluam abortiuam, cui deessent $\delta\epsilon\upsilon\tau\epsilon\acute{\iota}\varsigma$ & $\phi\rho\sigma\upsilon\tau\iota\delta\epsilon\varsigma$, minimeq; politam, nec in hoc vt ederetur scriptam, orationis meditatae loco in manus hominum venire paterer, restiti quantū potui: Attamen studijs & impulsu amicorum factū est, vt tandem schædas illas, quales quales erant, voluntati ipsorum permiserim, quo mihi ab importunitate vrgentium quies contingeret. Nunc nihil aliud mihi relictum video, quàm vt alienæ importunitati, & meæ facilitati, aut vt fortasse quidam interpretabuntur stulticię veniam petam. Minimè autem ignarus sum, quàm multis reprehensionum telis se obijciat, quisquis de publicis malis publicè aliquid dicere instituit, cum in tanta humanarum mentium teneritudine, nusquam non in-

A 4

ueni-

ueniantur homines ad prauitatis suspi-
cionem omnia inuertentes. Et est præ-
terea huius argumenti ratio, vt dissi-
mulanda non sint, quæ contra utilitates
publicas geri videntur, cum vitia ipfa-
met in oculos omnium se ingerant.
Verum hoc mihi credi velim affirman-
ti, me in vitia oculos intendisse, nõ ho-
mines impetere voluisse, meq; nullius
dignitati conuellendæ, aut famæ com-
minuendæ gratia, multo minus censen-
di libidine hanc qualemcunq; farragi-
nem exarasse, Quod si quis ad vitij ali-
cuius mentionem, cui se affinem sen-
tit exasperabitur, is conscientiam suam
fremendo deteget, non aliter quàm ca-
nis in turba tactus eiulando se ictum es-
se prodit. Quandoquidem igitur hæc
temerè effusa & minimè culta sylua in
manus hominum peruenire debuit, in
nominis vestri mentione eam prodire
vosq; initio affarivolui, quos necesse est
vehementer affici & angere cogitatione
futurorum, cum res totus Marchiæ ve-
stris

stris humeris incūbant, vosq̄ quo pro-
pendeant omnia in vniuerso orbe ter-
rarum, pro sapientia vestra iam præ-
uideatis. Scio has curas multis er-
ga bonum publicum optime affectis
somnia excutere, cum tristia fata quæ
posteritatem exceptura sunt cum ani-
mo suo reputāt. Sed quid curis profici-
tur, vbi fata vrgēt. Querendi etiā mihi
fuerunt patroni aduersus vitilitigato-
res, cum vbiq̄ iam regnet pessimi pa-
tris pessima filia ἢ διαβολῆ parentem su-
um nomine referens & factis expri-
mens. Ex vestri verò nominis clarita-
te patrocinium mihi singulare pollice-
or, cum magna sint vestra in Rempub:
merita, egoq̄ altero patrono altero af-
fine vsus sim semper humanissimo.

Quod si præterea aliquis fallens
di temporis causa hoc chaos lectio-
ne dignabitur, eum oro vt candorē in
iudicando adhibeat, quod idē à vestris
Exc. obnixè peterē, nisi vos ab omnib.
tanq̄ lucida candoris sydera coli, & er-
ga me peculiariter affectos essenossem.
Benē

Benè valere vos & diutissime incolu-
mes esse publico plurimorum bono ve-
lit isqui solus omnia potest. Data Fran-
coforti ad Oderam 25. Septembris
Anno 78.

Ex: V.

obseruantissimus

Caspar Hofman D.

DE BARBARIE IM-
MINENTE ORATIO.

Magnifice Dn. Rector doctissimi & omni disciplinarum genere ornatissimi viri, honestissimaq; iuventus. Produco in honoratissimum confessum vestrum, viros aliquot spectatae eruditionis, de quorum profectu in studijs & morum integritate, cum delecti à Philosophico ordine examinatores, censuram diligentem per hosce aliquot dies egerint, & laudabiles in ijs progressus animaduenterint, digni quoq; à toto collegio iudicati sunt, qui honorifico scholasticæ dignitatis titulo & virtutis testimonio publicè ornarentur. Huius decreti executio, posteaquam ad me ex officio redijt, initio vobis clarissimi viri gratias ago, quod honoris causa ad hanc renunciationem non grauatim conueneritis, atq; eo ipso testatum faciatis, quantopere scholasticorum graduum honori faueatis: deinde studiosæ iuuentutis laudo officium, quod frequentia sua fauorem animi tam erga candidatos, quàm erga bonarum artium studia & earum præmia declarent. Cum autem vsitatum sit in eiusmodi congressibus publicis, haberi orationem aliquam, utilem vitæ, qua animi vel ad honestas disciplinas incitentur, vel ad virtutis decus accendantur: aliquantulum me suspensum tenuit materia delectus, de qua sermo in hoc doctissimorum hominum conuentu instituendus esset.

Etsi

Etsi enim non deerant argumenta, quæ vel nouitate al-
lubescere, vel iucunditate animum delinire, vel utilitatis
nomine gratiam inuenire poterant: tamen intuenti mihi
hi tristem rerum humanarum in omnibus ordinibus fas-
ciem, & ruinosum rei literariæ statum, non ab utilitate
aliena, imò necessaria & huic temporì maxime con-
gruens, visa est expositio eorum, quæ publicè omnes
passim in imperijs, Ecclesijs, scholis & studijs fieri cer-
nimus, plurimum à superiorum temporum felicitate dis-
crepantia. Ac cum mihi continuè quasi ob oculos pos-
ita obuersaretur Politiarum, Ecclesiarum, atq; Acade-
miarum deformitas, & studiorum ruina in deterius, nō
potui fateor à consideratione rerum tanti momenti ani-
mum ac cogitationem abducere. Nec dubito quin lib-
benter passuri sitis me insistere argumento, in quod me
horum temporum cogitatio induxit, si consilij mei ras-
tionem aperuero, & quid à me spectatum sit indicaue-
ro. Illud namq; potissimum à me quæritur, ut ex hac
commemoratione rerum publicè notarum, intelligat iu-
uentus quanto in discrimine tam publicæ quàm priu-
atæ res nunc versentur, quibus periculis hæreamus im-
pliciti, quo reciderimus imprudentes, & quo breui cas-
suri simus præcipites. Earum rerum expositio honestis
& à pietate non alienis animis, veluti verberationem
quandam incutiet, ut de tantorum malorum causis at-
tentius cogitent, & ad hæc manifesta iræ diuinæ indi-
cia expauescant, ac præsentis ærumnosas difficultates,
in omni

in omni hominum statu, peccatorum nostrorum poenas
esse statuunt. Id procul dubio affectum mentium bona-
rum ad pietatem incitabit, timorem Dei acuet, & ad
serium precandi studium impellet. Admonebit etiam
aliquos officij sui, ac praecipue iuuentuti calcar addet, ad
studia sapienter instituenda, diligenter tractanda &
ordine prosequenda, ut malint abesse ab ea specie quam
culpam mereri intelligunt. Itaque fauorem, quem alius
parem adferens ad causam eloquentiam promeruisset,
non dubito quin mihi conciliatura sit publica quam ve-
nor utilitas, tum rerum densitas, & argumenti ad hoc
tempus congruentia. Nequaquam autem me fugit ad
commemorationem publicorum incommodorum, vane
animos hominum affici & commoueri solere, praesertim
cum ordinum aut professionum ab officio declinantium
errata attingenda sunt. Semper enim in omnibus ordi-
nibus reperiuntur homines tenera & irritabili consci-
entia, ut protinus se peti suspicentur, si quis vitiorum
quibus ipsi affines sunt mentionem faciat, quemadmo-
dum equi ulcerosi mox strigile tantum audito concitan-
tur & efferantur. Itaque in hac narratione mihi quae-
per sentes incedendum esse video, ne cuiusquam ordinis
aut hominis à me comminuta videatur autoritas. Sed me
excusabit opinor argumenti ratio, veritatem in narra-
tione deposcens, & inique suspicaces euidentia eorum
quae omnibus in conspectu sunt redarguens. Nihil enim
hic dicetur, quod non ilico verissimum esse agnoscatur,
& de

Et de quo non subinde querelas hominum audiri continēgat. A studio verò impetendi alios liberant opinor memores mei, Ab arrogantiae suspicione, quasi censorium quiddam mihi sumam, tuebitur me publica functio, non expetita mihi sed mandata à collegio. Neque verò proximus censorem se constituit, qui narrat quae nota sunt omnibus. Quod si de studiorum infelici ratione quaedam paulo liberius dixerò, fiet id ex ordinis nostri dignitate et officio. Philosophici enim collegij est studiorum iuuenilium errata patefacere, et adolescentem de secuturo euentu praemonere. Atque haec veluti praefatus, ad institutam considerationem rerum praesentium et praeteritarum me confero, coniecturam minimè obscuram de futuris euentibus cuique relicturus.

Primum igitur, si ad omnes mundi cardines vultum circumferamus, nil nisi tristia fata, et pericula ingenita horribile metum incutientia, nos circumstare liquido conspiciemus. Ab orientali plaga cervicibus nostris imminet Turcica immanitas, impune in vestibulo Germaniae orbi Christiano insultans, et acinaces in nostrum iugulum acuens. Praeterea multis suspecta est vicinorum inquietudo. Ab occasu vigent intestini motus, et bella ciuilia, secum forsitan alias regiones tractura. A septentrione metuitur Tartarorum irruptio et Moschorum rabies. A meridie prouolant consilia, multo tempore in perniciem nostram agitata, quae iam dudum in opus deducta fuissent, nisi diuina bonitas, (quae insipientibus

patro

patrocinari solet, ut est in proverbio nos hactenus cle-
menter tutata esset. Adhæc videmus in orbe Christiano
concuti imperia fatalibus tumultibus, urgeriq; satis Ger-
maniam, atteri populos bellis, exhauriri ciuitates im-
modicè, ut populosa quondam vrbes, nunc ciuitatum
quasi cadauera esse videantur. Excogitari quotidie ra-
tiones attenuandarum facultatum, non necessitati aut
Reip: seruientes, atq; interim accisis rebus, premente
aliàs homines multiplici calamitate, eneruari & deijci
mortalium mentes, ut ad nihil egregium se erigere &
attollere possint, utq; ingruente necessitate aut vi ali-
qua, haud animos fortes & inuictos allaturi sint. In
his rerum angustijs, impendente vndiq; tanto discrimi-
ne, summa interim vbiq; securitas, & hominum priua-
torum pericula sua non intelligentium, & eorum quo-
rum fidei & vigilantie commissi sunt populi. Furi-
e tiam Sathanas ceu catenis solutus multo rabiosius odio
generis humani, quàm antea, cuperet oppressa imperia,
deletas Ecclesias, dissipatas scholas, euersa studia, om-
nesq; in exitium nostrum neruos intendit, & machi-
nas intentat. Ac profectò si unquam aliàs pijs precibus
& votis opus fuit, ut Deus labascentibus Politijs ma-
num subijciat, ut afflictas Ecclesias tueatur, & pios ac
honorabiles docentium ac discipulorum coetus conseruet,
nunc profectò in hac postrema mundi senecta, in tantis
imperatorum periculis & ruinis, in tantis Ecclesie tur-
bis & calamitatibus, in tantis scholarum dilacerationi-
bus &

bus & studiorum clade potissimum opus est. Idipsum
verò multo clarius apparebit, si priora tempora cum
nostris comparemus. Legitur apud Esdram Iudæos se-
nes, Babilone ab exilio redeuntes, qui prioris templi
meminerant, ubi structuram atq; operis magnificentiam
aliaq; quæ adolescentes viderant, cum tenuitate recens
extructi secundi templi comparassent, illachrymasse, &
cum multa animi afflictatione dolorem suum testatos
esse. Idem nostro tempore accidit senibus, & viris sapi-
entibus, quos in suspiria & gemitus ac tantum non lac-
chrymas prorumpere audimus, ad recordationem &
mentionem, antiquæ virtutis, pietatis, ordinis, discipli-
næ, posteaquam omnia iam plena vident, vitiorum, er-
rorum & tristissimarum confusionum, Irruente insu-
per & premente calamitatum mole intolerabili. Neq;
difficile est illis longe in futurum prospicientibus, ex
consideratione consiliorum, actionum & euentuum di-
uinare, in quem tandem finem decursura sit, effrenis illa
in omnibus ordinibus ἀταξία. Atq; ut vno verbo elo-
quar, barbaries est, quàm metuunt. Sed consideremus
quæso nonnihil cum senioribus, & prioris ætatis deco-
ra, & nostræ turpitudinem, ut appareat quàm procul
absumus ab auita virtute. Igitur si piam & seriam pa-
trum & auorum erga res religionis affectionem, ac ar-
dens virtutis & honestatis studium, cum nostri seculi
prauitate comparemus, non tantum animos & mores
populi in deterius prolapsos esse depræhendemus, verū
etiam

etiam vix ullam aetatem tam inimicam pietati, iusticiae,
disciplinae, modestiae, & pudori fuisse palam intuebi-
mur. Apparet in animis hominum manifestus Dei con-
temptus, & religionis fastidium, crescit petulantia, se-
ritas & odium disciplinae, multa ubiq; improbitas &
impudentia, ac violenta passim aequi & iniqui confusio,
nulla erga leges & gubernatores reuerentia. In mo-
ribus horrenda exempla licentiae, monstrositas in vesti-
tu, aliaeq; abominabiles deformitates, sub humana spe-
cie mentem deliram, animum excordem, & mores be-
luinos latere testates. Quin & vulgus ipsum, (quod sua
exhorrescit vitia, cum respuat remedia) passim clami-
tat, scelera ad ultimum esse perducta, flagitia omnis ge-
neris ad fastigium peruenisse, atq; in cacumine consiste-
re, ferri homines praecipites in proiectissimas quasq;
turpitudines, repagulis omnibus pudoris ac timoris Dei
refractis, posteritatem vix inuenturam nostris quod mo-
ribus addat, nec quicquam restare amplius, quam vt ex-
pectata ab omnibus pijs nouissimi diei lux finem sceleris
bus hominum imponat. Exhorrescimus non immerito
ad tantam, nostri temporis immanitatem, subiectam
oculis omnium & ingemiscunt ad haec viri prudentes,
futurorum gnari, ac posteritatis mala, veluti iam praes-
sentia deplorant, praesertim cum ad hos populi mores
difficultates gubernationis accedere vident. Praecipue
autem senes, qui meminerunt quantum heroicis guberna-
toribus fuerit animi, consilij, pietatis, iusticiae, mo-
dera

B

dera

derationis, tum fidei & curæ pro subditis, mirifici
sunt laudatores priorum temporum more suo.

Aureum (inquiunt) seculum erat maiorum nostro-
rum temporibus, cum ordinatissime omnia gererentur.
Agnoscebant subditi quanta deberetur obedientia &
reuerentia magistratibus, Dei in terris imaginem rese-
rentibus, & numinis diuini vices sustinentibus, erantq;
ad honesta & æqua omnia animis, corporibus, opib;
busq; paratissimi, nulla præ amore pericula subterfus-
gentes, & virtute gratiã emereri satagentes. Rursus &
gubernatores officium suum intelligere studebant, &
persuasum habebant se publicum non priuatum officii-
um sustinere, itaq; se non sibi sed Reipub. imperium ge-
rere, & omnia bono publico metiri debere. Adferebant
igitur ad gubernationem animos imperio dignos, vt
subditorum commoda sua lucra esse ducerent, & se
non ad voluptates aut opes in tam altum fastigium à
Deo euectos crederent, sed vt muneris sui memores pro-
uinciam sibi creditam ita administrarent, vt & Deo ad-
ministrationis rationem exacturo conscientiam suam
approbarent, & apud mortales honestissimam sui me-
moriã relinquerent. His de causis libenter versas-
bantur in negocijs publicis, aures apertæ erant suppli-
cibus, cognoscebant causas, opitulabantur oppressis,
subueniebant viduis & pupillis, componebant dissidia,
curabant ne cuiquam fieret iniuria, nec temere ad bella
profiliebant, cum gloriosius Traiani, quam Nimrodi
exemplum

exemplum ducerent. Interim tamen in excubijs erant
pro lege & pro grege, si vel bellum imminere, vel se
in pace suspecta viuere animaduertent. Dabant ope-
ram, vt vox diuina sonaret in genere humano, cum re-
ligionis cura verè afficerentur, curabant vt Ecclesiæ
essent tranquilla, & rectè gubernarentur & doceren-
tur per homines idoneos, qui non suam sed CHRISTI
gloriam quærerent. Cumq; scirent genus humanum
ideo eonsociatum esse, vt colligeretur Ecclesia, cuius
ipsi nutritores iuxta Esaia dictum, diuinitus constituti
essent, sua interesse putabant, vt instruerentur & re-
tinerentur scholæ, in quibus iuuentus rectè erudiretur,
& honestis moribus imbueretur, inde euenturum rati,
vt non solum præsentia tempora, sed posteritas quoq;
haberet Ecclesiarum rectores ad docendum instructos,
& formatores ingeniorum eruditos. Nec minor fuit
sapientia & rectitudo in Politicis consilijs, quæ attem-
perabant ad normam iusticiæ, iusta esse ducentes, non
quæ cuiq; placerent aut æqua viderentur, sed quæ legi-
bus sancita essent, atq; legum autoritatem suis placitis
anteferebant. Ac cum meminissent se legum esse custo-
des, & iusticiæ exactores, seq; solos agnoscerent impa-
res tantæ negociorum moli, in iurisdictione, & alijs
maximi momenti negocijs, adhibebant ad deliberatio-
nes non Hephæstiones sed Crateros, viros integritatè,
prudentia, legum peritia & vsu rerum præcellentes.
Ex eorum consilijs iuste & sapienter instituebant nes

gocia, & ab ijs subinde admonebantur de prouidendis, auertendis & depellendis periculis, nec se propterea in aliena quasi tutela esse, aut indigne regi putabant, si fidelia & prudentia consiliariorum monita sequerentur. Studebant & ipsi sapientiam sibi comparare legendis peritorum hominum scriptis, & ex commemoratione seniorum, cum nimio constare scirent orbi sapientiam gubernatorum, quæ experimentis discitur. Quis autem miretur, eos qui æqua lance alijs præsidere debent, discrimen æqui & iniqui non semper perspicere, cum iusta dijudicatio controuersiarum etiã illis difficilis sit, qui in ea facultate sibi paranda contriuerunt vitam atq; ætatem suam. Deinde multa intercurrere possunt in iudicando, veluti gratia, malevolentia, odium, aliqua etiam secum adfert fortuna gubernatorum, quæ à recto incautos abducere queant. Quo in numero est assentatorum ubiq; se ingerentium versutia, deinde lingue delatrices præoccupantes & inflammantes potentum animos aduersus innocentes, vt nisi interuam à fide consiliaris machinationes hominum inquietorum affectus suos vlciscentium detegerentur, & à gubernatoribus admonitis reprimerentur, in præcipitia insonantes ignari rerum inciderent, & gubernatores de integritatis opinione periclitarentur. Illustre sanè est gubernatoris nomen & officium, & in alta virtutis specula positum, fulgore suo in oculos incurrens, & exemplo suo plurimos mouens. Ideoq; magna incumbit rectoribus ho-

bus hominum necessitas, ut integros se præstent, cum
deflectere ab honesto, sine graui sublimitatis suæ labe
& hominum pernicie haud possint. Quemadmodum
verò corpora cœlestia, quæ regunt hæc inferiora, si
paululum à recto cursu diuariet, non sine multiplici
rerum humanarum malo id faciunt, ut apparet in Ec-
clipsibus: ita si gubernatores ab honesto & iusto re-
cedere contingat, obliuione officij sui, aut percitos af-
fectibus & præcipiti consilio, aut nimia erga delatores
& pecuniæ aucupes indulgentia, protinus errata res
dundant in regna & gentes. Porro veteres illi ἄρχον-
τες & ποιμένες λαῶν, non suam tantum, sed infea-
riorum quoq; magistratum integritatem sibi præstan-
dam esse putabant, nec sufficere arbitrabantur, si of-
ficiario mandaretur officium, nisi etiam aduigilarent,
ut incorrupte mandatis fungeretur. Sed nec ipsi se ab
officio abduci, intempestiuis voluptatibus, aut occasio-
nes aut tempora rerum gerendarum elabi patiebantur.
Sub eiusmodi gubernatoribus, pietate, iusticia, animi
magnitudine, prudentia, temperantia, aliarumq; virtu-
tum ornatu fulgentibus, quales nimirum nobis depin-
gunt senes, floruisse regna & vrbes optimis legibus,
sanctissimis moribus & honestissimis disciplinis ex cō-
memoratione seniorum & ex historijs nouimus. Nunc
in tanta amplitudine orbis Christiani rara sunt anti-
quæ illius virtutis exempla, ut si reuiuiscerent veteres
illi Heroës plerasq; regiones minimè tales reperturi
sint,

sint, quales eas reliquerunt. Feruent omnia bellorum
tumultibus & religionis disidijs, conuellitur status
Reipub. ab inquietis, & qui posse aliquid videntur, cura
ris de gubernatione ad DEVM & officarios reie-
ctis. Nec iam sapientia in precio est, aut consilia res-
git, sed florere videntur qui obnoxia dicunt & facia-
unt, seq; rebus presentibus accommodare norunt. Pru-
dentes quo propendeant illa prospicientes, corde suo
trepidant, & mœrore se conficiunt. Cum enim eos,
qui in naue clauum tenent sibi relictos, nec salutaribus
consilijs eorum qui consulere didicerunt suffultos vi-
dent, anxij sunt de incolumitate nauis. Nam vela
uentis permitti, & ab extremis ad extrema delabi pe-
riculosum esse vident, Et quoniam erga publica com-
moda optime affecti sunt, solícite metuunt, ne nauis in
breuia & Syrtes decurrat, aut in scopulos impingat,
aut fluctuum magnitudine obruatur. Ac cum in naue
remiges consiliorum sunt expertes, & ad remigandum
se ingerunt imperiti, non sine causa metuitur nauis
subuersio. Verumtamen politicae societatis harmo-
nia, multo clarius in corpore humano relucet. In eo
COR animi sedes regnum obtinet, quod vitam & spi-
ritus per arterias ab ipso prodeuntes in cætera membra
distribuit. His in Repub. officarij similes sunt. Cir-
cumdatum est cor domestico pulmonum famulitio, &
costis veluti prætorianis militibus munitum. Est vero
idem cor, affectuum quoq; sedes, qui essent intractabi-
les &

les & indomiti, nisi ratio eos regeret. Proinde extrin-
sca rationi magna in capite arx, in quo cerebrum,
apta menti sedes continetur. Id sanè regni huius d' in-
signior est, in quo prominent organa sensuū veluti spe-
culæ exploratoriae. Hic ministri et nuncij sunt, visus, au-
ditus & reliqui sensus. Intus in sanctiore consilio sedent
consiliarij senes, imaginatio, iudicium, memoria, à qui-
bus integris & non malè affectis, salutaria consilia cor-
di, cui executio incumbit subministrantur, quæ deinde
à lingua id facere iussa proferuntur. Ab eodem cerebro
prodeunt nerui, (qui leges representant,) quibus mem-
bra ceu vinculis colligantur. Per hos sensus & motus
in totum corpus influit. Reliqua deinde est inferioris
ventris ciuitas, varietate functionum & officiorum or-
dinatissime distributorum admirabilis. Multa ibi vi-
suntur opificia coctionum & excretionum, multa
ubiq; εἰσγωγῆ & ἐξγωγῆ. In ea regnat hepar,
quod sanguinem & vim naturalem diuitem reliquis
membris suppeditat, pro suo cuiq; modo, imprimis ta-
men cordi à quo deinde arteriæ accipiunt, & cerebrum
quoq; vegetatur. Hæc sanè est admirandæ Politicæ, in
opificio diuino hac corporis mole clauso tenuis adum-
bratio, gubernationis in Repub. imaginem referens.
Quod si in corpore iusta manet partium symmetria, &
functiones cuiuslibet parti propriæ à membris principa-
libus urgentur, felix inde exit gubernatio, sequiturq;
totius hominis sanitas, alacritas & promptitudo.

At β

At si membra & functiones ab hac integritate deflectere contingat, multa ubiq; turbatio incidit. Vt cum animus mentem non audit, & affectus rationi legem praescribunt, aut cum arteriarum tonus aberrat, pulmone sué tumidi cor in angustias redigunt. Cum oculi suffusione, aures surditate laborant, cum sensus interiores delirant & laxantur nerui. Aut cū lienterica sit alimenti profusio, aut lien immodicè attrahens intumescit & indurescit, vt macies & labes vniuersi corporis sequatur. Vtinam autem ea esset nostrorum temporum felicitas, vt omnia quemadmodum in corpore sano quā rectissimè gererentur, ac non solum gubernatores summi ad exemplum à DEO praescriptum se conformaret, sed magnates quoq; summis proximi, hoc quod sui officij est facerent. Verum id non optimam de se speciem praebet, quod plerisq; tam inuisa est bonorum iurisperitorum integritas, qui leges ad aequitatem ipsis commodam & placentem inflectere nolunt. Hos aduersari sibi conqueruntur, cum recti tenaces obstant prauis & iniustis cupiditatibus, quandoquidem licentiae faciendi quicquid libet, leges velut obicem opponunt. Inde fremitus in legum scientiam & professores, indigne ferentium, se tantos ac tales legum vinculis coherceri, et cupiditates suas iuris autoritate frenari. Mallent verò controuersias (sicut apud Barbaras nationes fit) iudicari arbitrijs potentum, quorum voluntates expugnabiles videntur, quam omnia ad odiosi iuris rigorem exigere.

exigi. At hac ratione leges futurae essent casses araneas
rum, quas peruolarent aues grandiores, muscis irretitis.
Sunt alioqui in vita hominum, atq; etiam in praes-
lustribus locis ficta fucataq; plurima, & tum factioni-
bus apertis, tum clancularijs insidijs ac simultatibus
fermentata, & corrupta omnia, amatur, & magnifit
versutia & perplexa sapientia, honesto praetextu te-
guntur praua consilia, ac plerunq; priuatis affectibus
publica impeditur utilitas. Quid igitur fiet bonis legi-
bus ad res malas deflexis? Ac profecto si in hac mo-
rum corruptione & ingeniorum vanitate consilijs &
negotijs praerunt illi, qui iuris ignari ad sua iudicia o-
mnia attemperari volent, & priuato commodo inten-
tis committetur publica utilitas, plurimumq; poterunt
isti, quibus calliditas pro sapientia est, quis dubitat,
quin turbata & eneruata harmonia politica, breui
damnatus aliquis Philosophorum iudicio Reipublicae
status exoriturus sit, & secutura deformis in iudicijs
& moribus confusio & barbaries.

Recitavi de Politico statu sermones seniorum, qui
cum optime erga Rempub. affecti sint, optime quoq;
omnia fieri & ordinatissime geri cuperent. Considerem-
us nunc exulceratas res afflictæ Ecclesiae, cuius res si
vnquam aliàs nunc vehementer in arcto sunt. Orbata
enim est praesidijs, premitur ab ijs à quibus foueri de-
bebat, insidiantur ei aduersarij, plena est aerumnarum
& vulnerum domesticorum, agitatur seuisissimis pro-

cellis, ut veluti nauis fatiscens rimis inter seuos fluctu
mox interitura videatur. Pij remiges considerantes ma
la inextricabilia humana sapientia, animum despon
dent, nisi CHRISTVS singularem aliquam opem
misero suo gregi tulerit. Erat huic ærumnose matri, lu
ctanti cum maximis difficultatibus in extrema senectâ,
temporibus tam duris, subsidio imprimis opus, & redi
tibus à maioribus bono certè animo, si non perinde fe
lici euentu institutis, alenda erant eius viscera, de toto
corpore benè merentia. Verum opes illæ docentibus &
discipulis, atq; etiam egenis donatæ, in longè alios
vsus impenduntur, quàm qualibus eas destinavit vete
rum pietas. Nihil illi aliud spectarunt, quàm propa
gationem honoris & nominis diuini, & diligenter
prouiderunt, ut omnia in pios vsus verterentur, & ne
stipendia deessent ijs, quorum opera vteretur Ecclesia.
Nunc multis in locis ea quæ maiorum liberalitas Eccle
siæ contulit, prædæ sunt fucis & hominibus ociosis,
qui nullo vsui sunt Ecclesiæ. Interim stipendiorum ino
pia desunt pastores, qui hoc pane CHRISTI alendi
erant, alibi frigent & egent, nemine miseriam ipso
rum subleuante. Quod si quis ultra hæc memoria repe
tere volet ea, quæ sunt priorum temporum, atq; oculos
ad ea quæ partim gesta sunt, partim geruntur circum
ferre non grauabitur, miras Ecclesiæ vicissitudines, cum
stupore intuebitur, & ad pericula ingentia & foedas
dilacerationes totus inhorrescet. Iacebant auorum me
moria

moria in superstitione demersæ & captæ hominum
mentes. Eorum simplicitate & probitate indies magis
magisq; abutebantur agnorum sub pelle lupi. Doctri-
na religionis densissimis tenebris humanorum placito-
rum obscurata, magnaq; confusione & perplexitate
inuoluta erat. Ecce autem reflorescentibus studijs, Ec-
clesiam respiciente Deo, excitata sunt diuinitus fulgi-
da albi montis lumina, viri ingenio sublimi, iudicio a-
cri, dexteritate in docendo admirabili, pietate minime
ficta, & candida morum ac vitæ innocentia præditi.
Hi diligenter consideratis doctrinae coelestis fontibus,
admiraculo linguarum ac studiorum humanitatis, cor-
ruptelas religionis sagaciter inuestigarunt, acute per-
uiderunt, magno iudicio discusserrunt, ardentiq; zelo su-
stulerunt. Erroribus detectis & in clara luce positis,
instituta est DEI beneficio emendatio doctrinae, aboli-
ti sunt abusus & vitiosi cultus, quos superiora tempo-
ra inuexerant, regnum obtinentibus illis, qui doctrinam
& ritus ad sua compendia inflectebant. Ita laquei con-
scientiarum contriti sunt, & articuli obscuri magna
perspicuitate explicati, horridæ sententiæ lenitæ, &
veritas multis certaminibus, præsentibus cum periculo
coniunctis euiçta, aptissima Methodo compræhensa, in
summam contracta & in capita aliquot relata est, ut
& percipi facilius omnia possent, & posteritas sciret
cuius notæ doctrinam accepisset. Nunc posteaquam re-
bus humanis veluti prælio excesserunt, qui in hoc sa-
cro bela

ero bello inuicti, duces & primipili fuerunt, ferè quisq;
sibi speciem veritatis proprijs cogitationibus effingit,
& protinus cerebri sui cogitata mensuram veritatis esse
se vult. Inde fit, vt ex omnibus mundi plagis se nobis
offerant duces, qui non solum nos adhortantur, sed
impellunt, urgent, ac quasi iure suo assensum flagitant,
vt se vnos sequamur, atq; alios omnes tanquam in per-
niciem ducturos deuitemus. Horum vt quisq; acuti ali-
quid suo iudicio se depræhendisse putat, mox lymphati-
ci more, errores impingere alijs satagit, suorum obli-
tus, & quasi à se solo stet veritas, pericula Ecclesiæ se
humeris suis Atlantis modo sustinere videri cupit. Sor-
dent continuo istis, *Ἐλαυτία* astro percitis, quæ
præceptores summa fide & dexteritate ipsis profecto
non imitabili, nobis reliquerunt, Ac propemodum idem
agere videntur, quod de oratoribus refert Fabius. Pri-
mi (inquit) vtilia inuenerunt. Posteriores vt viderentur ali-
quid suum attulisse, etiam recta immutarunt. Proinde
cum occupata existiment à prioribus recta, vt & ipsi
aliquid esse & supra cæteros attulisse, & ne eadem re-
censere videantur, cum humile videatur aliorum vesti-
gijs insistere, & ingenij laude cedere, à receptis senten-
tijs longissimè recedere student, comminiscuntur absur-
da paradoxa, fingunt nouas opiniones, detorquent sa-
cras literas, non ad sensum quem ipsæ efficiunt, sed
quem ipsi secum adferunt, quasi sensum suum scriptura
re accommodare dedignentur. Talium ingeniorum
opera

opera abutitur Sathanas, ad infligenda miserae matri
acerba vulnera, ad spargendas corruptelas rerum recte
traditarum, ad sauciandas conscientias infirmorum, ad
disturbandas scholas, ad turbandam publicam tranquil-
litatem. Hæc omnia tandem in miseram Ecclesiam re-
dundant, quæ crudeliter dilaceratur putidis hominum
opinionibus, & factionibus, quibus veritatis & inte-
gritatis zelus prætexitur, qui an sit secundum scienti-
am euentus arguit. Prodeunt subinde scripta dentata,
ubi alter in alterius famam lethalia vibrat spicula, in
quibus signum illud diagnosticum discipulorum Chris-
ti (mutua charitas,) minimè apparet, neq; vllum paci-
fici illius spiritus vestigium animaduertitur. Ac
multorum scripta talia sunt, vt maiorem ligularijs quã
Ecclesiæ vsum præstitura videantur. Pleriq; autem quæ
magno studio opiniones suas in vulgus spargunt, leuis-
cula saltem rei Theologicæ umbra superbiunt, cum nec
solida aliorum iudicia audiuerint, nec erudita collatio-
ne cum peritioribus cogitationes suas erudierint. Alio-
rum eruditionem fermentat ambitio, & nominis pro-
ferendi studium, vt omnia sursum ac deorsum miscerè
malint, quàm vllam opinionis suæ iacturam facere. In-
de tanta in mouendis certaminibus cupiditas, & in de-
fendendis placitis suis pertinacia, tanta impotentia a-
nimorum & acerbitas odiorum, tantum inuectiuarum
conuiciorum, maledictorum, nempe huc eos adigente
zelo, qui tamen aliquos magis gloriæ suæ, quàm veri-
tatis

tatis & pacis avidos esse ostendit. Ita isti qui præcepto diuino iubentur consilia sua dirigere ad componendas turbatas hominum cogitationes, ad sanandas conscientias infirmorum, ad lenienda odia intractabilium, ipsimet discordiæ semina spargunt, suntq; turbarum & odiorum faces, efficiunt dilacerationes in Ecclesia, freti simplicitate vulgi & præsijs potentum, ut quidam ex Theologorum numero minimè vltimus haud falso dixerit, Nullum genus hominum intolerabilius esse quàm sui ordinis homines, præsertim si quid à tergo subsidij sentiant. Ac profecto nisi Deus misertus Ecclesie, Constantinum aliquem excitarit, qui indomitos turbulentorum hominum affectus reprimat, Theologiam ipsi Theologi euertent. Grauius obiurgauit Constantinus Episcopos, quod lites non necessarias mouerent, easq; pertinaciter persequerentur. Nisi (inquit) ego religionis custos essem, iamdudum ea à vobis ipsis subuersa esset. Quid dicturus esset, si domestica inter Cadmæos fratres certamina et mutuavulnera spectaret?

Interim inter tot Mercurios & indices viæ ad cœlum, inter se ipsos discordes, hæret miser & iudicij inops populus, ignarus quo se vertat, confusus animo, ad tot voces acclamantium, & in diuersa trahentium, quandoquidem sua quemq; placita veritatis specie palliare, & verborum quanta potest honestate exornare audit. Scinditur incertum studia in contraria vulgus, Ac qui peritiores ex populo videri volunt, ad opinio-

nes

nem ingenio suo conuenientem se applicant, plebs sibi
diffusa, ei se committit, quo eam fors detulit. Excitant
hæc opinionum dissidia velut Andabatarum certami-
na, & pugnacitate irritantur atq; exacerbantur ani-
mi, dum quisq; opinioni quam semel arripuit immodicè
fauet & pro ea depugnat. Plerumq; autem res exit in
amarulentiam & similtates, non apud vulgus tantum,
sed apud eos etiam qui religionis & pietatis exempla
ria videri affectant. Ac fere fit, vt omnium maximè
contendant, qui de re quam minimum intelligunt, &
vt ardentem zelum prætexant illi, quos nulla vnquam
amoris diuini scintilla calefecit, cum facta ipsa loquan-
tur, quàm sint pleriq; ad charitatem frigidi, quàm rur-
sus ad vindictam & ad opprimendos dissentientes ca-
lidi, & ad malitiosas deprauationes eorum quæ benè-
dicta sunt præcipites. Suntq; hoc tempore hæ vindi-
candi artes: odiosum & vulgo abominabile nomen
impingere nescienti & reclamaturo, instillare clam vi-
rus liuoris pectoribus aliorum, & labem aspergere
candori, integritatem suspectam reddere, operamq; da-
re, vt ex delatione hæreat tamen aliquid, & plus in sus-
picionem relinquatur, deniq; supplantatione audaci cus-
dere alijs occultè pericula, vt prius pereant, quam pla-
gam sentiant. Hæc quam aliena sint à professione &
titulo loquentiũ de DEO, notius est, quàm vt ostensio-
ne aliqua egeat. Sed qui tandem ex huiusmodi dissidijs
& artificijs fructus resultant? Illi quibus summa debe-
batur

batur veneratio, si essent quod dicuntur, in summum seipso contemptum deducunt, perit illorum autoritas, doctrina aestimatur ex moribus, Pugnacitate verò, animi à pietate abducuntur ad certamina, & implicantur meutes multiplici dubitatione, de ijs etiam de quibus antea certi sibi videbantur. Ita sensim non neglectus tantum, sed odium religionis inducitur, & in populo suboritur effrenis petulantia, inualefcit impietas & Epicuræa profanitas, iamq; Atheismus est in foribus, vt ferè omnia quemadmodum Domini nostri I H E S U CHRISTI & D. Pauli voce prædicta sunt, fieri geriq; videamus. Quntum igitur à barbarie abesse putandi sumus?

Vrgeri etiam iniquitate fatorum Academias, & ad ruinam propendere, longeq; alia quàm olim esse fortuna, conditione, doctrina & moribus, cum mœrore omnes erga publica commoda benè affecti deplorant. Olim ciuitates summum suum decus esse ducebant, si Academiam haberent florentem & scholas benè constitutas. Nunc stolido vulgo gratior est solitudo, quàm frequentia. Erant & magnates erga honestas disciplinas sic affecti, vt non tantum magnifice Academias extruerent, easq; donarent immunitatibus, ornarent priuilegijs & augerent redditibus, sed vt vndecunq; magnis præmijs accerserent viros eruditionis laude celebres, qui iuuentutis ingenia formare nossent, quod viderent præcipuam Reip: & posteritatis spem in eo sitam esse, si rus

si rudis ætas honestis & Reipub. utilibus disciplinis, res
clè erudiretur. Habebatur tum honos eruditioni, virtuti
& rectè factis, præmium erat ingenijs egregijs & mor-
ribus incorruptis. Hoc pacto ingenerabatur animis
amor virtutis & veræ laudis, vt mirum esset studium
effingendi aliquid publica luce & approbatione poster-
ritatis dignum. Et suum quoq; discentes faciebant offic-
cium, vt solidam eruditionem consequerentur, spe hono-
ris & nominis, tanquam calcaribus quibusdam incitas-
ti. Nunc eò res redijt, vt contempta iaceant & friges-
cant bonarum artium studia, & disciplinæ Reip. vtilis,
velut ex alto despiciantur, ita vt apud summos pariter
& imos eruditi nomen propemodum inuisum sit, &
virtute partum scholasticæ dignitatis testimonium tan-
tum non contumeliosum esse incipiat, apud eos quibus
Panico cornuum sono nihil est antiquius. Mirum au-
tem est ab istis quoq; negligi & in odio esse studia &
scholas, qui ob hoc ipsum quod didicisse aliquid & sci-
re putantur in honore, & existimatione sunt, quos im-
primis decebat autoritate sua apud reges honestos cœ-
tus tueri & ornare, studia promouere, & discentes be-
neficientia sua iuuare pro viribus. Sed pleriq; cum stu-
diorum vsum aut exiguum, aut nullum habeant, locum
suum tueri se posse diffidunt, si adhibeantur ad negocia
peritiores & exercitati. Mallent igitur pauciores esse
eruditos, & suis tantum consilijs stare Rempub: seq;
primos esse apud reges deiectis de gradu sapientibus.

C

Atq;

Atq; ob hoc ipsum & studijs & literatis sunt iniquiores. In tanto studiorum contemptu, Mæcenatibus non ut ante se offerentibus, & ingenia honore ac munificentia extimulantibus, animos eruditorum deiectos & torpidos esse quis miretur? Præsertim cum tenuitatem suam docendo utcumq; sustentare, seq; in alias ignobiliores curas mergere cogantur. Itaq; non ut olim, alacriter ad operas subeundas procurrunt, & ad palme honores (ut inquit ille) contendunt, decore & laude excitati, sed similes redduntur operarijs diurna mercede conductis, qui penso absoluto ad nullam ultra numerum operam adigi possunt, quod superuacaneam esse defatigationem putent, quæ operæ precio careat. Igitur inualescente desidia pensum numeris exigitur, non constituitur diligentiae præmium, cum veteres in eo magis verti doctrinæ felicitatem & auditorum commodum existimarint, si quisq; sua virtute aestimaretur, & expenderetur profitendi peritia & dexteritas, rati magnæ eruditionis hominibus, frequens auditorium & doctrinæ avidum sine dubio pro calcaribus futurum. Ac profectò si quis recta rem reputet, non minima infelicitatis scholarum culpa in eo residet, quod non omnia suo precio aestimantur, nec cuiq; locus quem meretur, tribuitur. Videas nonnullos qui vix intra mediocritatis terminos consistunt, & quibus adhuc multa ad cumulum perfectionis desunt, se efferre & venditare, magniq; aestimari velle, atq; interim eos qui solidam eruditionem

tionem consecuti sunt, & ad intima artium penetrarunt, (quandoquidē non tenent, aut usurpare dedignantur illaudata famæ aucupandæ artificia) inglorios esse ac negligi, quæ res in causa est, ut multa præclara inuenta supprimantur. Quemadmodū autē flumina, qua parte tranquilla sunt & angusto alueo vidētur, ea profundiora esse solēt, ac rursus late excurrentia & oculis intuentium maiorem quam pro modo fluminis speciem exhibentia, facile vadari possunt: ita plerumq; solida eruditio apud modesta reperitur ingenia, non apud eos, qui cum supercilio umbram eruditionis pro vera scientia ostentant. Nec tamen ulli se magis ingerere satagunt, & obtruduntur nonnunquam ab ijs, apud quos plus fauor & animi affectio, quàm iudicium & Reipubl. commodum valere deprehenditur. Ab istis sic admisis non tam profectius iuuentuti, quàm vana nominis opinio quæritur. Inquirunt, sollicitant, ambiunt, pellunt, trahunt, quoscunq; possunt, quacunq; ratione ac via, sperantes se tanto in maiore autoritate futuros, & maiora facturos operæprecia, quo frequentius auditorium habuerint. At veteres præceptores auditorij frequentiam sibi parabant utilitate doctrinæ & dexteritate ἐξήγησῖα, reuerentiam verò & autoritatem gravitate morum tuebantur. Erant enim magnæ eruditionis & prudentiæ viri, omne genus autorum euoluuerant, & intelligebant, consecrerant orbem illum disciplinarum, (Sic enim Quintilianus ἐγκυκλοπαι

Si *αυ*, Cicero vero consensum doctrinarum vertit) Multa in ijs docendi dexteritas, cum essent methodi artifices, & facultatem ordinate & succincte omnia tradendi quasi in numero haberent, ingenua & omnibus exposita iuventutis promovendae cupiditas, cum ubiq; ad accommodationem respicerent, & deductionem ad usum sedulo monstrarent. Egregia sane in professore commendatio est, si *ἐγκύκλιος* & erudite & prudentis, gnarus & observans esse dicatur, si autoris vel artis quam profitetur, quasi potens sit, & captui auditorum congruentia tradere sciat, in formatione ingeniorum, veluti per gradus incedendo. Eius enim est primum dispicere, an in autore explicando adhibenda sit glossematica interpretatio, vocibus obscuris per lucidiores expositis & declaratis, An vero res exigat copiosorem paraphrasticam enarrationem, intertextis ijs quae lucem adferre possint, adhibitis etiam subiectionibus rationum, similibus, exemplis, collationibus, sententijs & alijs illustrandi modis. Deniq; an adhibenda sit commentandi ratio recta, quae pro genere causae instituitur, an obliqua & allegorica, veluti in Poetarum fabulis, aut narrationibus ad veritatis speciem confictis, ubi omnia ad historiam, ad mores, aut ad physice referri oportet. Apud prouectiores, artificij Dialectici & Rhetorici adnotatio, non triuialis, sed ingeniosa & ex artis penetralibus eruta, ingentes ad intelligendum, iudicandum & imitandum utilitates adfert.

Verum

Verum hæc facultas virum ingenij exercitati & iudicij minimè obtusi postulat, qui quæsito prius autoris consilio, res vniuersas per $\delta\iota\alpha\lambda\epsilon\sigma\iota\upsilon$ ob oculos ponere, & argumenta ad confirmandum ab autore accersita eruere norit, censura insuper addita, indicato loco inuentionis & forma argumentorum, vt auditores ex templo agnoscant, vnde materiam sumpserit autor, quæ sit probationum facies & firmitudo, tum quomodo disposita colligata & connexa sit argumentorum acies. Quibus illa illustrentur similibus, exemplis, expolitionibus, quibus dilatentur amplificationum modis, qui inserti sunt loci communes. Eiusdem est ostendere, quæ potissimum in autore mirari conueniat, & imitari deceat, vtq; minimè silentio prætereat, si quid ingeniose, acute, false, argute, sententiose aut grauiter dictum sit. Nec dissimulanda œconomia ratio & prudentia, quid quo loco apposite posuerit autor, quid quare omiserit, quid in quem locum distulerit, quibus commissuris posteriora prioribus aptè compingat, quæ in re potissimum detineat auditorem, quos mouere tentet affectus, quo artificio alia breuiter contrahat, ac veluti tegat, alia fusius extendat, quomodo alia depri-
mat, alia attollat, deniq; quàm sollicita & diligens decori vbiq; habita ratio. Postremo quæ & qualia verba singulis accommodarit, quæ structura, quæ figurarum copia & varietate. Quod si accedat accurata obseruatio & ostensio analyticæ reductionis, audito-

rum, lectorum & animaduersorum, ad præcepta & generalia capita rerum discendarum, ut in locos quosdam communes, in hoc paratos referantur, breui tempore instructum eruditionis penu sibi discentes, magna sua utilitate comparare possunt. Hæc quantum iudicij, prudentiæ & dexteritatis præter rerum peritiam requirant, nemini non apparere arbitror. Verumtamen ubi ad rerum curam intentio animi vertenda est, aut tradendæ artes quæ mentis indagine constant, principatum obtinent Methodici ductus, quo nomine non tantum questionum methodi intelliguntur, nempe ut quæstiones simplices certis circumsepiantur limitibus, inquisitione definitionis, partium, causarum, effectuum, cognatorum & pugnantium, aut ut coniunctæ argumentis ventilentur: verum etiam huc pertinent idæ artium & ordines doctrinæ per certa media institutæ, ut pro commoditate docendi ars integra absoluat, vel oristica methodo, explicatione definitionis ex natura rei ductæ, & partes omnes complectentis: vel compositiua progrediente ab initio ad finem: vel analytica, à fine ad principia & fontes retexendo & deducendo omnia. Quæ docendi rationes, si essent vsitatior, & iuuentus assuesuerit ad effingendas & animo imprimendas artium & rerum discendarum idæas, & artificioso per eas discursu ad vsum omnia accommodare doceretur, solidiorem multo doctrinam quàm ex glossæmatis (interdum qualibuscunq;) aut ex dictatorum sarcinis

Sarcinis consequeretur. Rari autem sunt, qui artium
quas honore professionis suæ ostentant fontes & mo-
dos, & vtendi rationem tradant, & curam tantæ in-
iuuanda iuuentute utilitatis in se recipiant. Plures re-
perias erga seipsos indulgentes, erga iuuentutis studia
difficiles, vt malint non laboriosa, quàm auditoribus
congrua tradere. Itaq; alij negocijs implicati, ieiunitas
te quadam punctim saltem res perstringunt: Alij con-
tra oratoria luxurie, dum facundi esse student, horas
perdunt, cum res potius methodo enucleanda, & pau-
cis aptis & significantibus verbis proponenda esset,
Alij suo iudicio nacti campum in quem excurrant, vni-
us loci vel verbuli occasione, infarciunt quæcumq; est
collibitum, omnia vbiq; satis aptè & congruenter tra-
di arbitantes. Hæc quam sint aliena ab utilitate di-
scientium, & ab artificiosa ratione ingenia excolendi
nemo non animaduertit, Nec difficile est coniectura as-
sequi, si docendi ratio degeneret, & cultura ingenio-
rum sit neglectior, quàm planam ea res ad barbariam
viam sternere possit. Quanquam apud promiscuam
multitudinem magis in oculos incurrunt mores schola-
rum, non per omnia professioni congruentes. Versa-
bantur olim docti inter se humaniter, dulcis erat pro-
fessorum velut inter fratres vnanimis concordia, &
amica omnium ordinum coniunctio, vt nullum orna-
tius spectaculum apud homines iudicio aliquo præditos
esse putaretur, quam honorabilis coetus eruditorum

C † candore

audore, & ingenuitate alijs prælucentium. Nunc
tanta in plerisq; locis est morositas ingeniorum & as-
peritas animorum, ut publica quodammodo quærimo-
nia sit, eos qui artes humanitatis profitentur, humani-
tatem ipsam non præstare, ac reperiri multos, qui præ-
ter autoritatem quam ex professionis titulo usurpant,
nihil vitæ exemplis à reliqua turba differant. Quin-
etiam moderatoribus plerumq; affectibus conspici ho-
mines de infima plebe, quàm qui humanitatis doctores
& sapientiæ lumina videri volunt. Porro cum vitia in
iis qui formationem morum & scientiam omnium vir-
tutum pollicentur, conspectiora sint, protinus in ea
vulgus imperitum oculos intendit, & prauitate iudicij
maiores imputat studijs, atq; ex multis iudicium facit de
omnibus, ut tales putentur vniuersi, quales se non pau-
ci exhibent. Optandum autem esset, ut nullas pro-
se multitudo haberet sic sentiendi causas: Sed res lo-
quitur ipsa plerosq; de virtute docere malle, quàm
quod virtus iubet facere. Præterea suis se moribus pro-
dunt inquieti, polypragmones, ambitiosi, litigiosi &
pugnaces, cum non ea quæ par erat humanitatis signa
ostendant. Ac profectò dolendum est in cætu hominũ
doctorum, a quorum iudicijs & exemplis studia &
mores adolescentum vulgicq; oculi pendent, inueniri in-
genia inquieta, maligna, turbulenta & quæ se intra
septas & metas muneris sui continere non possunt, sed
πολυπραγμοσύνης æstro perciti ingerunt se præter
necessita-

necessitatem rebus alienis, officij sui immemores. Quam
alienum vero est ab humanitate, viros eruditionis alio-
qui non aspernanda, negotia vndiq; attrahere, tran-
quilla consilia turbare, serere similtates, committere
inter se homines, alere inimicitias, & ignibus dissidio-
rum pabulum subijcere. Non minus turpiter se dant
ambitiosi, quos gloriae hydropica sitis excruciat, vt
præ cæteris eminere, & in magna admiratione, existi-
matione atq; autoritate esse laborent, idq; plerumq;
malis artibus, cum vera virtus per se venerationem &
benevolentiam excitet. Accidit autem sic affectis ple-
rumq; id, quod de Crocodilo produnt scriptoret. Vt
enim Crocodilus persequentes fugit, fugientes sequi-
tur: ita & honor subducit se vehementer inhiantibus,
& vltro se offert non affectantibus. Sed isti captatores
auræ popularis, Βαυκοπωδῆγοι, & gloriae aucupes,
dum regnum infelix non virtute sed fraude, & supplan-
tatione aliorum ambiunt, vigilantissimis oculis circum-
spiciunt, quos habeant applausores & iactantiæ suæ
admiratores, Ac rursus curiose obseruant, à quibus se
non satis honorari, aut quos gloriae suæ obstare arbi-
trantur. Illos euehere, hos premere satagunt. Ita sæpefit,
vt indigni qui se accommodare norunt ad volūtates, prus-
riginosahonoris scabie laborantiū, patronos experiātur
propicios, dedignantibus autem se ad tam pudendā hu-
militatem demittere, quantumuis insontibus occulta
creentur pericula. Talibus artificijs famam affectare, et

falsi honoris umbram minimè durabilem captare, viro-
rum est puerilium, intemperanter affectibus indulgen-
tium, & aliena potius humanitate abutentium, quàm
suam declarantium. Præditi namq; moderatis ingenijs,
etiamsi cupidis largiantur ineptias illas, quas vulgus
honoris nomine intelligit: tamen tacite vident pueri-
lem, & à vera gravitate alienam inanis gloriæ cupidi-
tatem. Itaq; honorantur isti, non quia honorem meriti
sed quia honoris avidi, quin & dignos animadversa
gloriæ fames despiciat suo ipsorum vitio reddit. Ma-
gna præterea importunitas est eorum, qui sunt in man-
cipio sectæ alicuius aut opinionis mordicus arreptæ, aut
qui ingenio sunt pugnaci & contentioso. Hi suo iudi-
cio omnia censeri volunt, acerrimi propugnatores opi-
nionis suæ, impugnatores alienæ, nec minus obstinate
pro suis placitis quam pro aris & focis dimicant. Vni-
cum eis studium pudefacere dissentientes, in contem-
ptum adducere adversantes, rati quicquid de opinione
eruditionis ijs detractum sit, id omne in se derivatum
iri. Ita accenduntur certamina, certatur odijs, invidia,
malevolentia, improbitate, obtreptione, calumnijs.
Interim dilaceratur Respub: literaria acerbitate animo-
rum, corrumpitur disciplina, ac tandem ipsimet post-
pertinaces aliorum insectationes, amissa integritatis
& prudentiæ laude, confusionem honoris sui, vel inuis-
ti spectare & agnoscere coguntur. Hæcine verò est
exercitatio sapientiæ, aut professio humanitatis? ho-
mines

mines eruditos de cathedra vitæ duces, animos in Phi-
losophia gerere gladiatorios. Ista ne fieri ab ijs, qui se
lumen ingenijs allaturos, & animis humanitatem in-
ducturos pollicentur? Quantum hæc à barbarie absint,
barbariei indicia conspici in illis locis, ubi barbaries
animi, liberali doctrina detergenda est, expendendum
cuiq; relinquo.

Delatum me nunc institutæ orationis cursu ad stu-
diorum liberalium mentionem intelligo, de quibus ea
tantum attingam, in quibus præcipuè iuventus delin-
quere & in barbariem cursu ruere videtur. Primum
autem cum studium (teste Cicerone) sit animi assidua et
vehemens ad rem aliquam magna cum voluntate in-
tentio, ipsa sanè studij definitio arguit, quam procul ab-
sint à studiosorum hominum officio, qui in ijs quæ di-
scenda sunt, versantur animo invito & repugnante,
aut certè alijs cogitationibus intento, & ad allubescen-
tias suas peregrinante, quiq; nullum grauioris cogita-
tionis pondus sustinere, nec in vna re fixi hæere, sed
temerè pro voluntate in autoribus vagari & delitiarè
tantum volunt. At quibus serio studia cordi sunt, ut
cuiq; esse merito debent, ijs cura omnis in eo est, ut stu-
dia sua quantum fieri potest sapienter instituant, utq;
non superficialiam sed solidam eruditionem reportent.
Omnes vero studiorum labores in hunc finem dirigi de-
bent, ut vnà cum pietatis studio, sibi quisq; paret fa-
cultatem apposite & eleganter dicendi, & scientiam
rectè

rectè iudicandi de rebus, seu vt breuius dicam, vt elo-
quentiam cum sapientia copulet, atq; hunc præclarum
ingenij cultum & eruditionis apparatus ad publica
commoda vertat, siue de religione docendi sint homi-
nes, siue Reipub. opera danda, siue valetudini consu-
lendum, siue formanda iuuentutis ingenia. Cæterum in
eruditionis ex ædificatione, quæ ordine instituitur, ser-
monis studium veluti fundamentorum locum obtinet,
vt ab hoc discendi initium fieri oporteat. Enimvero
ingens in homine erudito decus est, sensa animi sui &
abstrusos cogitatus scite expromere, oratione docta,
suauis & facunda, quæ & docere, & persuadere, &
accendere affectus animi, verborum quasi scintillis, ubi
opus est possit, quæ consentanea sit personis, rebus, lo-
cis, & temporibus. Verum hanc peritiam consecuturo,
ante omnia diligens & curiosa verborum (quibus ea
quæ sentimus, eloquimur) scrutatio necessaria est, vt ser-
mo proprijs, puris, & ad rem aptis vocabulis constet.
Etsi autem sollicitudo de vocabulis res est fastidij plena,
& in tenui labor esse videtur: tamen absq; his in speci-
em minutis, nec aditus nec ascensus ad maiora pater.
Ac multo sanè latius patet vocabulorum cura, & ser-
monis quasi dedolatio, quam pro opinione multorum.
Non solum enim vim & significationes vocum tenere
oportet, sed præterea requiritur accurata animaduer-
sio, quæ quibus rebus aptè tribuantur, quibus expli-
centur, quibus sint affinia, qua differentia secernantur
cognatis

à cognatis, et quibus opponantur. Deinde opus est de
lectu, inter verè latina & peregrina, atq; ea etiam quæ
Poëtis peculiaria, aut artium propria, aut alioqui vetu-
state æsueta aut recens arte nouata sunt. Siquidem in-
terdum cum nomenclaturæ idoneæ desunt, allusionibus
aut artificiose confictis vocabulis res denotare cogimur.
Neq; negligendum est discrimen inter humilia & sub-
limia, parua & grandia, aspera & lenia, tarda &
volubilia, deniq; tota illa externa facies, quàm ætas
professio, dignitas, magnitudo, sonus, & motus dictio-
nibus conciliant oculis minimè somniculosis spectanda
est. Aspernentur sanè hæc fastuosi tanquam minutias
& exilis precij curas, At videas natu iam grandes, &
qui scire aliquid videri volunt, cum sua rebus tribuen-
da sunt nomina, vel turpiter obmutescere, vel res alias
pro alijs puerorum more vsurpare, alios verba de vera-
naculo sermone mutuari, alios per ambages multa per-
plexitate circumscribere conari quod significatum vo-
lunt, aliquos etiam non sine dedecore suo animi sensum
digitis notare. Eos verò qui sine discrimine, temere qui-
buslibet verbis vtuntur, neq; quicquam pensi habent,
quid benè latine vel κατὰ γρησικῶς dicatur, aut quid
artificibus, in sua cuiq; arte proprium aut permissum
sit, aut quæ vocum singularum & coniunctarum sit
conditio, eos inquam videas, dictiones & phrasas om-
nis generis in orationem suam comportare, easq; in vsu
suum pertrahere inuitas ac repugnantes, effundere
verba

verba sine sensu, vana specie turgida, vnde necesse est,
exire orationem confusam, intricatam, obscuram, sca-
tentem verbis malis, ad res minimè quadrantibus, ins-
eptis, ociosis, affectatis, tumidis, tragicum & barba-
rum quid sonantibus, aut rursus nimis exilibus & pue-
rilibus. Quanto autem satius erat, in his eruditionis fun-
damentis rectè ponendis occupari, & initio deuorare
has amaras studiorum radices, esse diligentem in vocū
natura perquirenda, & loquendi modis obseruandis,
sensimq; assuescere sermoni puro & dilucido, & filo
orationis eleganti, quod postea de quacumq; re dicturo
ad manum ac velut in numero esset. Ad eam rem
nihil perinde conducibile est, vt frequens styli exerci-
tium, ipso etiam Cicrone attestante, qui styllum opti-
mum dicendi magistrum esse ait. Verum quanto in er-
rore iuuentus hac sane in parte versetur, tum præce-
ptorum tum sua culpa, nequaquam dissimulandum esse
videtur. Præceptores quidem in hoc de iuuentutis stu-
dijs malè merentur, quod adolescentulos, qui nondum
ex puertli studio emerferunt, sine pennis ad altiora vo-
lare sinunt, ac non potius eos ad sermonis emendati cu-
ram adigunt, eoq; labores & exercitia omnia referre
cogunt, atq; in hoc studio tantisper detinent, donec eos
formandi sermonis quasi architectos euasisse sentiant.
Onerant ingenia nondum durabili fundamento suffulta
ante tempus, immaturo sublimium artium pondere, &
ab exercitijs styli (in quibus vtiliter & feliciter decura-
suri

firi erant) traducunt ad ea, quæ ipsi prima & potissima haberi volunt, atq; ita fide autoritatis suæ adolescentes spe compendij in dispendia inducunt, eisq; aditum obstruunt ad res maximas, ut fundamenta transilientes in arena ædificent. Adolescentum vero error in eo residet, quod sibi protinus videntur defuncti laboribus, si regularum Grammaticarum cognitionem assecuti sint, quæ tamen nihil aliud quàm aditus sunt ad linguarum cognitionem. Ac videntur sibi pulchrè latini, si iuxta præcepta & analogiam loquantur, si nullam artis regulam violent, si barbarismis non foedata sit oratio, deniq; si vitentur solœcismi manifesti. Atqui id tantum est Grammaticè loqui, nondum verò bene latine, si Quintiliano optimo iuuenilium studiorum formatori credimus, qui latinitatem multo latiore ambitu circumscribit, quam qualibus illi eam cancellis definiunt. Neq; enim regularum tantum aut vocum cognitionem requirit, sed præterea phrasium (quæ à consuetudine eorum qui castigatè locuti sunt pendent) puritatem, mundiciem, perspicuitatem & varietatem seu copiam. Quibus accensentur ea, quæ elocutionem commendabilem efficiunt, veluti cum in scribendo decus additur orationi aptis & naturalibus metaphoris, aliisq; tropis & schematibus, & cum collocationis diligens habetur ratio, ut aptè cadat oratio figurarum beneficio, & concinnitas concilietur argutis antithetis, iucundis homioteleutis, venustis numeris & clausulis.

Quorum

Quorum omnium cura habenda est ei, qui bene latine & excoltae orationis laudem affectat. Neque uero hic gradum sistit Quintilianus, sed ad latinitatem etiam pertinere putat, intelligentiam & enarrationem bonorum autorum, cum in eruendo sensu dictorum, tum in rebus ipsis. Deinceps totum huc Philologie studium pertinet, quod scrutationem antiquitatis, & omnium penè rerum complectitur, ita tamen ut difficiliora, & quae altiore principio repetenda sunt, causarumque iustam assignationem, ad ipsarum disciplinarum traditionem remittat. Hoc sanè studium uariam & latè patentem eruditionem efficit, quantumuis id cum supercilio aspernentur umbratilis eruditionis ostentatores, & Grammaticum esse dictitent. Ac talibus Grammaticis olim censura de omnibus autoribus permittebatur, & patrum memoria Angelus Politianus & multi alij doctissimi uiri, qui quodcumque nomen usurpare potuissent, Grammatici nomen uehementer ambiuerunt, & deprecati sunt huius nominis usurpandi inuidiam, imo nec hodie in ullum non Philologum uere eruditi nomen competere potest. De his omnibus iuuentus nunc animo est ocioso, nec de stylo sollicita, nec in bonis autoribus cognoscendis diligens, nec in cognitione uetustatis aliarumque rerum scitu dignarum occupata. Ceterum de Stylo hoc dicere ausim, nullam esse uiam comodiorem emergendi ex fundamentis

mentis studiorum, nec quicquam aliud ad solidam erudi-
tionem perinde aditum patefacere, quam si & ado-
lescentes ipsi excusso, veterano alacriter in exercitijs sty-
li decurrant, & si præceptoris contingat copia non
vulgariter eruditi, qui orationis lapsus animadvertere,
eosq; indicare, exprimere & corrigere norit. Eius enim
est, non tantum superficialia animaduersione ad ea res-
picere, quæ sunt de casibus & constructione, sed dili-
genter etiam excutere proprietatem dictionum & lo-
quendi formulas, & asteriscis notare, si quod occurrat
verbum non satis latinum, improprium, non quadrans
rei, insolens, durum, traductum quo non oportuit: tum
in phrasibus, si qua se offerat improprietas, peregrini-
tas, triuialitas, aut si qua ambiguitas, quæ sæpe tanta
est, ut interprete opus esse videatur. Eius item est non
perfunctorie examinare translationes, quæ (si commo-
de & decenter usurpentur) potissima orationis orna-
menta sunt, an sint nimis crebræ, vulgares, humiles, an
nimis audaces, affectatæ, tumidæ, inflatæ, asperæ, ob-
scuræ, ineptæ, absurdæ, similitudine nimis longe peti-
ta, sine reciprocatione, quasi inuite ad rem pertractæ.
Præterea qui moneat, ubi compositio sit perturbata, &
ordo perplexus, ubi per crebra hyperbata orationi in-
ducta obscuritas, ubi item collocatio sit aspera, horri-
da, dura sono, literarum quasi confragoſo concursu,
aut hiulca, nimio hiatu vocalium. Ubi neglecta concin-
nitas, ubi infarctæ inania verba & ociosæ particule,

D

aut

aut affectate inepte & prodigiosa elegantia, ubi numeri alieni, pigri, claudicantes, Vbi item periodorum nulla sit habita ratio, & oratio destituta continuatione, aut ubi circuitus illi nimis extensi aut circumducti, implicatis multis eò non pertinentibus, atq; etiam ubi sequentes periodi prioribus minus comòdè aptati sint, ubi orationis vincula non eo quo conueniebat modo posita, aut ad connexionem minus oportune adhibita sint. Deniq; ubi genus dictionis nimis Asianum & redundans, aut nimis aridum & non coherens, veluti sine calce arenae, Vbi character dicendi non quadret ad genus argumenti. Neq; enim omnia eodem genere dicendi conscribi volunt, quod hominum est imperitorum et nullum styli usum habentium. Isti namq; cum tarditate iudicij, aut absurditate naturae, omnia eodem loco habeant, eodem etiam genere dicendi scribunt res paruas, magnas, letas, tristes, epistolas, orationes, physica & forensia. Ac scripturi utuntur vel sua dictione, nempe impolitae, inaequali, horridae, portentis verborum resecta, aut consarcinata ex centonibus phrasium suppilatione collectis, nullis insertis sententijs aut certè leuiculis & frigidis, plena insulsis & ampullosis amplificationibus. At periti & in eloquentiae exercitijs versati omnium maxime respiciunt ad genus dicendi, quod cuiusque rei accommodandum sit, ac tenui characterè ad docendum utuntur, temperatum ad deliniendos voluptate homines adhibere student. At ubi affectibus animos percul-

perculsuri & permoturi sunt, graui oratione tonant,
& δ'είνωσιν suam exerunt seueritate rerum, & figura-
rarum, ac verborum pondere & copia. Porro si ad
hæc ostenderetur iuuentuti ex Rhetorum arte, œcono-
mie ratio in autoribus, nempe rerum, argumentorum,
ordinis, sententiarum, affectuum, & exornationum,
pararent sibi iuniores facultatem ac veluti discursum
quendam, vt cum dicendum aut scribendum esset, pro-
tinus occurreret, quomodo instituenda totius rei tra-
ctatio, vnde petendæ rationes, & quo quidq; loco po-
nendum, quo apparatu amplificationum & figurarum
exornanda esset oratio. Postremo iuuentutem assuefie-
ri conueniret, vt vbiq; & in omnibus præcipua haberet
tar decori ratio, ex accurata & prudenti circumstan-
tiarum consideratione, vt omnia congruerent personis
tam dicentis quàm audientis, tum rei de qua dicitur,
præterea tempori & loco, & quibuscunq; alijs condi-
tionibus, à quibus decus aliquod orationi accessurum
putetur. Inde non tantum culta sed sapiens etiam ex-
trueretur oratio (cum peritia loquendi ex ratione &
mente, tanquam ex fonte profluat) atq; hac considera-
tionis diligentia excitarentur ingenia, vt res humanas
prudentius dispicerent, & exactius iudicium ad negotia
adferrent, cogitatusq; alienos rectius percipere, &
suos eleganter expromere & in lucem proferre possent,
quandoquidem iam ante cognitum haberent, quibus in
quaq; re vtendum verbis, qua arte collocatis, & quo

ditionis caractere. Tanta nimirum res est styli exercitium. Non igitur falso dictum est à magnæ auctoritatis viro, quicquid laudabile in studijs speretur id stylo effici oportere. Quam difficulter autem iuuentus ad styli usum compelli possit, quàm ægre adolentes animum peregrinantem ad intentionem aliquam reuocent, & manus ad scribendum admoueant, rectoribus iuuenilium studiorum notius est quàm vellent, ut quibus cum eiusmodi cessatoribus perpetuò rixandum est. Ac si quid tandem impetretur, ut scribant aliquid, scribunt oscitanter velut aliud agentes, effundunt tumultuariam verborum congeriem, sine delectu, sine ordine, sine cura, ut interdum nulla sit verborum & sensus congruentia. Non ea quæ scripserunt formare, non meliora reddere student, non mutant errata, non corrigunt impropria, non substituunt pro ambiguis & obscuris perspicua, non addunt nitorem horridis, non mollire dura, aut apta collocatione blandiora efficere tentant, denique nullis illustrant figuris & ornamentis. Res ipsæ injulsæ sunt, nullo condimento gratiosæ redditæ, non eruditionis, non acuminis, non iudicij aut alterius rei, quæ tollere tædium, aut fastidium diluere possit. Nullæ allusiones ad res veteris memoria, quas Philologiæ studium suppeditat, cuius etiam nomen propemodum notum esse desijt. Est autem Philologia scrutatio illa & obseruatio in autoribus, vocabul

vocabulorum & rerum memorabilium ac scitu dignarum, ac potissimum vetustatis cognitio. Præterea annotatio sententiarum, carminum, apophtegmatum, prouerbiorum, fabularum, historiarum, exemplorum vitæ, temporum, rerum gestarum, bellorum insignium, hominum clarorum, naturæ animantium, rei numariæ, & similium rerum non perinde cuius obuiarum. Tum descriptiones rerum, fluminum, montium, regionum, urbium, & quicquid in quaq; famæ commendatum. Eò quoq; pertinent instituta, mores, cultus, populorum ac gentium, consuetudines antiquitatis, magistratus, formæ iudiciorum, religionum ritus, res rusticæ, urbanae, domesticæ, publicæ, quæ omnia ex bonis autoribus annotare Philologi est. Isq; Philologicus apparatus, insignem ingenijs adolescentum lucem adfert, vt bonos autores rectius intelligant, & copiam suppeditat rerum optimarum, vt ad eruditæ orationis laudem, magno suo decore feliciter euehantur. Quid verò tandem futurum putamus, si iuuentus neglecto elegantis & culti sermonis studio, abiecta omni inuentionis cura, omissa diligentia inquirendi res vetustatis, actum agere perget? Nimirum adferetur similis negligentia ad cætera studia & vitæ officia, Obscurabuntur res barbaro & inculto sermone, quorum expectabatur explicatio, cum barbara omnia obscura & incerta sint.

Ex tanta igitur inferiorum studiorum infelicitate,
non cultura ingeniorum speranda, sed barbaries me-
tuenda est, quæ tanto futura est horridior, quo mi-
nor iudicij excolendi cura fuerit. Porro in parando
facultate rectè iudicandi de rebus primas obtinet
differendi ars, quæ humanos oculos ad ueri inspectio-
nem caligantes, quasi manu ducit, ostensa Methodo,
& uerum à falso disputatione secernere docet. Me-
thodus enim ostendit uiam, quam mens ingredi debe-
at, in controuersijs intricatis perspicuè explican-
dis. Opinionum autem & rationum collatione
quasi attritu enitescit ueritas & in apricum produ-
cuntur sophisticæ argutiæ eorum, qui ingeniosi esse
student aduersus ueritatem, Patescit autem ueritas ar-
gumentis ad fontes ipsos deductis & examinatis, ac
ostensis prestigiæ causis. Quorum uero ingenia
arte dimoscendi uerum à falso non exulta sunt, hos
obtusos habere oculos mentis necesse est. Itaq; luce
idonea carentes, & hac mentis manu ductione desti-
tuti, quasi palpitare coguntur in tenebris, dum ab eis
inter falsa ueritas quæritur, nec se irretiti & impli-
citi è labyrinthis extricare & euoluere possunt. Nec
quæ intelligere se putant, uera ne an falsa sint di-
iudicare norunt, sed iudicio falsi, ambigua pro certis
arripiunt, absurde colligunt, discunt infeliciter, do-
cent obscurissime, ac frequenter mirifice se torquent in
soluendis leuiculis argumentis, quæ alius artis Dia-
lecticæ

lecticæ peritus ostenso fallacia fonte & uitio col-
lectionis, facile depræhendere, & nullo negotio eru-
ere & discutere potuisset. Esi autem imperiti quoq;
animaduertere interdum uidentur, aliquid in argu-
mentatione uitij hæere: tamen quale illud sit nec in-
dicare, nec exprimere, nec uitiosæ connexionis
causam signate ostendere possunt. Sapienter igitur
Plato, nisi iuuentus se in hac exerceat, ueritatem
elapsuram prædicat, quod nihil aliud est, quam stoli-
dam barbariem secuturam esse, Eam imminere & in-
propinquo esse ex eo animaduertere licet, quod &
methodi maligna à plurimis habetur ratio, & apud
iuuentutem non urgetur accommodatio, Tum quod
moderata rationum collatio in amarulentas discep-
tationes uertitur, nullo cum fructu eorum qui audi-
unt, ut qui periti Dialectices haberi affectant, potius
nunquam tacere, quam differere didicisse uideri que-
ant. Est & hæc barbariei impendentis nota haud ex-
trema, quod præclarissima rerum studia, passim uiles-
cunt, frigent, & negliguntur, non ab illis tantum qui ea
liberalitate sua promouere debebant, sed ab ijs quoq;
quorum res tantas cognoscere, maxime intereat. Ap-
paret id in Mathematicis studijs, ob quorum cogni-
tionem Plato nobis oculos datos esse existimauit, ac
ob id natura (ut ille inquit) Os homini sublime de-
dit cœlumq; tueri iussit, & erectos ad sydera tollere
uultus. Quam indignum uero est, homines ratione

præditos ac præcipuè eos, qui de rationis cultu sibi plascent, pulcherrimam coelestium corporum faciem non alijs oculis intueri, quàm vitulus horrei portam aspicit. Atqui tantæ quotidie vicissitudines motuum coelestium & influentiæ se sensibus nostris ingerunt, tantæq; utilitates & necessitates hæc studia commendant, vt mirandum sit homines sapientiam sibi arrogantes, non affici tot rerum miraculis, nec animum erigere ad tam iucundam operum DEI contemplationem, ac ne utilitate quidem incitari, aut necessitate moueri, vt res tanti momenti cognoscere studeant. Multo magis pudendum est, hominib. eruditis, humani generis domiciliū ignotū esse, cuius descriptionem Geographia pollicetur, quæ relata ad cœli faciem Cosmographiam efficit. Ac iucundissimum sanè est, mente complecti mundum vniuersum, cogitatione peragere totum orbem terrarum, oculis ire quo mens præiuerit, animo comitem esse longissimarum peregrinationum per terram, & nauigationum per mare, et stantem domi spectatorem agere locorum, in quibus res quas scriptores commemorant gestæ sunt, aut nunc geruntur. Cæcis profectò non dissimiles videntur, qui terræ & regionum situm ignorant, nec sciunt quàm latè in hanc vel illam partem habitetur, quæ gentes cohæreant, & qui nec vbi ipsimet in mundo sint cognitum habent. In harum rerum peritia sibi comparanda segnem esse iuuentutem, merito dolendum est. Eadem est de sprete cognitione naturæ querimonia, in
qua

qua Dei ubiq; vestigia cernere licet. Exhibet & illa nobis insigne spectaculum, cœlorum, elementorum eorumq; quæ è terra effodiuntur, & in sublimi apparent, præterea plantarum, animalium & hominum. Horum omnium qualitates & motus considerare, inquirere initia & causas, unde existant, agant, adolescant, alterentur, ac rursus quomodo minuantur cadant & intereant, quis non videt ad solidam eruditionem maxime pertinere? Potissimum autem quæ de animæ functionibus & humani corporis opificio traduntur, considerationem meritam ab homine exigunt. Ac mirè iucundum & illustre spectaculum est structura organorum nutritionis, tum domiciliorum mentis & animi, suntq; in sensibus, eorumq; instrumentis, deniq; in potentijs animæ rationalis intellectu & voluntate, atq; adeo in homine toto plena miraculorum omnia. Quanta verò barbaries est de his maximis rebus nihil didicisse, nec de rebus naturæ ac de seipso quoq; plus nosse, quàm oculis conspicitur, nec de admirandis operibus ab anima prodeuntibus, quicquam ultra vulgus sapere. Quod idem in morum doctrina accidere conqueruntur tam indocti quàm docti. At ea est quæ compositionem animi, & quomodo affectiones rationis autoritati subdendæ sint docet, quæ si unquam alias hoc profectò tempore necessaria esset, in tanta morum dissolutione, & prauitate & infinita improborum licentia, feritate, insolentia, flagi-

tijs, ut ab immanitate & sceleribus ad feriam aliquam
quando uirtutis curam traducerentur. Continet
illa etiam iuris fontes, iusticiae & uirtutum descriptio-
nem: ac praeterea rei & publicae & domesticae ad-
ministrandae rationem pollicetur. Sed de rerum
doctrina, praecipue uere de natura & moribus quin-
potius de tota Philosophia nemo solidius & dexte-
rius praecipit ipso Aristotele, cuius omnia ualidissi-
mis rationibus fulta, & aptissima Methodo exposi-
ta sunt. Quicquid uir ille summus suscepit tractan-
dum, siue de differendo, siue de rerum natura, siue de
moribus, ea omnia in artis formam redegit. Quo
nomine plurimum illi debent studia, & studiosi om-
nes, quorum utilitati semper consulere studuit.
Sparsa collegit, collecta digessit, confusa distinxit,
obscuris attulit lucem, denique omnia ita reddidit con-
cinna & apta, relucente undique fulgida & artificiosis-
sima methodo, ut ab ingenijs quae ad intima rerum pe-
netrare, quam per summa uolitare malunt doctrina
illius haud difficulter percipi, tenerique ad usum fe-
liciter accommodari possit, magno cum fructu eor-
um, qui solidam eruditionem, & artium fructum ex-
petunt. Fuit enim uir ille ingenij acumine, iudicij
sanitate, praeterea prudentia, dexteritate, diligentia
& studio, omnium cuiuscumque aetatis scriptorum facile
praestantissimus, et quantumuis uerborum parcus, rerum
tamen optimarum et argumentorum plenus. Huic tanta
erudi-

eruditionis, tantorumq; meritorum uiro, nouarum
quarundam argutiarum & non multa frugis subtili-
tatum amatores, qui fastidiunt prius recte tradita, &
quos pruriginosa honoris cupiditas, & supra alios
eminendi studium exoculat, turpiter oppedere & me-
dium unguem ostendere audent. Qui nisi uelut præ-
sens numen succurrissent studijs & rebus humanis
Aristotele in ordinem redacto, iam dudum sederemus
in tenebris, & quaereremus, ubi nam essent bonæ lite-
ræ, ubi liberalis eruditio, ubi disciplinarum studia.
Nemini sane non debetur gratia, qui arguti aliquid
& concinni in communem studiorum usum, candide,
sine cuiusquam iniuria & absq; nouæ sectæ studio
profert: Sed cæco ambitionis impetu ferri, ad
subuertenda uetera & nouanda usitata, ac uelle opti-
ma iuuenta obscurare, & sua (nondum eorum qui
iudicare possunt calculis plene approbata) in locum
reponere, atq; de nulla re magis occupatum esse, quam
in Aristotele de gradu deijciendo, id quale sit per-
pendi quam à me dici malo. Certe omnes eruditi
& graues uiri, ut ut non impediunt, quo minus
adolescentes iuueniles illas argutias & ingeniorum
lusus cognoscant, tamen solidam eruditionem appe-
tentibus & studia sua ad usum translaturis seduli hor-
tatores sunt, ut Aristotelicum doctrinæ genus, tan-
quam optimum ament, colant, conseruent, & ad po-
steritatem propagare studeant, Velle autem unum ali-
quens

quem nouæ cuiuspiam subtilitatis inuentorem conti-
nuo Aristoteli, & alijs summis uiris præferre, id ue-
ro perinde est, ac si quis ramum ab arbore defractum
pro integra arbore ostentare, eumq; ut extet supra
ceteros, in cacumine collocare studeat. Id sane
carpendo & cauillando ea, quæ à ueri studiosissimo
magistro tradita sunt nequaquam efficietur, nec di-
cacem esse aduersus summos uiros magni ingenij est,
sed prauum. Quod si quis hæreat in aspectu fructu-
um & euentuum, qui ex subtilitate & sapientia illa
resultant, uidebit ad Martialis, Catulli, & ad Orato-
rum figuras & exempla, noua illa inuenta directa,
nec ita ut Aristotelica ad accommodationem apta
esse, sublimia studia aggressuris. Quanto autem
sapientius studijs iuuentutis consuluit uir incompara-
bili iudicio Philippus Melanthon, qui studia ad fon-
tes reuocauit, & ad Methodum Aristotelicam uiam
iuuentuti struxit planam & expeditam magnaq; dex-
teritate primus quodammodo rationem ostendit, quo-
modo artificiosa methodo liberalium artium studia
ad quascunq; disciplinas accommodanda sint. Id
referre nobis pueris solebat Valentinus Trozendor-
pius, scholæ Goltbergensis moderator, optimus insti-
tuendæ pueritiæ artifex, præceptor meus erudi-
tissimus, grata memoria semper celebrandus.

Audite

Audiebam (inquirebat) tradi artes, ut tum tradi usitatum
erat, & Aristoteles enarrabatur pro temporum illo-
rum ratione, ceterum de accommodatione verbum nul-
lum. Præcepta inculcabantur, sed sine usu, quem nec
tenebant illi, qui eruditionis culmina videbantur. Ali-
quot igitur nostrum collecti, impetrauimus primi à
præceptore, ut accommodatio artium nobis ostendere-
tur, qua nos nunc multo lucidior fruimur. Solebat
etiam vir clarissimus D. Guarus VVeigandus socer me-
us amantissimus, hunc suum præceptorem & hospi-
tem, formatorem ingeniorum appellare, cuius sanè ex-
positionis exempla innumera sunt & infiniti viui te-
stes. Sed huius furiosi seculi prorsus barbarica ingrati-
tudo est, aduersus virum tanti nominis, optimè de stu-
dijs & studiosis meritum, cui acceptum referre cogi-
mur artes & doctrinam illustratam, nostrorumq; in-
geniorum cultum & humanitatem omnem, quoq; ma-
gistro didicimus, quæ scimus. Qui si nihil nisi pueris
utilia dixisset, & in literas retulisset, merebatur ipsius,
non iam dico summa eruditio, & labor Herculeus in
studijs, & pro puritate religionis cum multiplici &
præsenti periculo exantlatus: sed benignissima erga
omnes voluntas, exposita ad iuuandos omnes prom-
ptitudo, indefatigabilis ad extremum vsq; spiritum se-
dulitas, tum candor & integritas, morumq; & vitæ in-
nocentia, & minimè ficta pietas, ut tantus præceptor,
summa semper dignatione & veneratione cultus &
perpe-

perpetuo colendus, ingratos ac degeneres discipulos
experiretur equiores, qui prauitate naturæ Vatiniano
odio in bonè meritum feruntur, & odio ipsius bonas
artes opprimere & delere conantur. Verum multo in-
tolerabilior & flagris digna audacia est, adolescentu-
los vix tenui eruditionis umbra tinctos, & latinè ad-
huc balbutientes, beatos tanti præceptoris manes, illo-
to sermone allatrare, & in eum cui, studiorum suorum
fundamenta & profectum debent, ingratas acuire lin-
guas, dignas vsu quem indicauit Catullus. Libet
exclamare cum sene illo Troianorum oratore apud Vir-
gilium, Cur hunc tam barbara morem permittis patrias
Medici συμμεωτικῆς periti, ex talibus moribus λυ-
καυθρωπίου præfagire solent, quæ à Βιλαωδρωπίου
quædam est degeneratio. A me sane isti nullo nouo no-
mine insignientur, quandoquidem vir maximus D. Lu-
therus, cuius iudicio merito omnes assurgimus, tanti vi-
ri contemptores bacchantes asinos appellare non est
veritus. Estq; hoc non minimum confusionis doctrinæ
& barbariei in studijs secuturæ indicium, quod sum-
mos istos rei literariæ duces in scholis loco mouere, &
de gradu deturbare conantur, homines (vt nihil dicam
durius) qui uiuentibus in conspectum prodire non sus-
stinuissent, aut certè confusi vt vanæ Scriphiæ obmuc-
tuissent, tantum abest vt κόκκυγες cum beneficis cura-
rucis sint comparandi. Hæcine vero sunt δεπήςια
& εἰδωκτα, quæ rependimus præceptoribus, optime
de no-

de nobis meritis, qui si repetitum pennas suas venirent,
multæ corniculæ risum moturæ essent, alienis nudatæ
plumis & suis relictæ. Barbariem ista magis quàm
faces & ostenta in cœlo portendunt. Sed habet adhuc
Cham nepotes suos, & nunquam claris viris Zoili de-
sunt, qui nomini suo ex obfuscatione potioris claritas
tem inducere laborant, idq; plerumq; aridis & ieiunis
cauillis, quibus Catones se orbi deridendos proponunt.
Ac ferè fit, vt impingentes magnis viris errores, pro-
dant suos, & illorum stultitiam arguentes, suæ sint
præcones. Quod si aliqui oculos in seipsos reflecterent,
fortasse in sinu suo reperturi essent culpanda, de quibus
contegendis magis q̄ retegendis alienis laborandū esset.
At qui nunc animo suo morè gerunt, & in odio dū licet
explendo toti sunt, hos quoq; fata prospectant paria, et
mirabitur improbitatē posteritas. Nihil opus erat Ari-
stotelis aliorumq; bonorum autorū scripta carpendo in-
uisa reddere, & è scholis exterminare, cum alioqui iu-
uentus adigi non possit, vt artes ex fontibus, aut ex ri-
uis ad fontes viam ostendentibus hauriat. Ac nisi sola
nominis maiestas & reuerentia vetustatis conseruaret
priscorum autorum monumenta, exoritur sine dubio
essent Cumani leones & barbariei seminatores, qui ea
explodere tentarent. Neq; hoc magnæ parti iuuentutis
ingratum aut aduersum futurum esset. Refrixit enim
in animis discendi ardor, successit pigritia, impatien-
tia curæ & laboris, crescit indies negligentia, vt pluri-
mis

mis nunc degustatio saltem studiorum tumultuaria & ieiuna allubescat, eaq; non ex bonis autoribus comparata, sed ex summarijs, collectaneis, rhapsodijs, indicibus & centonibus decerpta & mendicitate collecta. Neq; enim isti bonos autores integre cognoscere student, aut detineri se rationibus & causis considerandis patiuntur, id quod demum est uere scire: sed artes uelut in transcurso attingunt uerius quam discunt, raptim defungi uolunt rerum summis, decerpunt sententias, obiter tamen & perfunctorie omnia. Nimirum properant ad altiores disciplinas, allecti splendore dignitatis, & auiditate questus eiq; se studio tradere malunt, quod in precio esse uident. Pessime autem in se ipsos consulunt, qui intempestiue irruunt ad sublimia rerum studia, sine fundamentis, nondum instructi necessarijs instrumentis, antequam intelligant quale sit quod suscipiant, quidue ad ea studia adferendum, aut ex ijs petendum sit. Obtruunt ingenium (uiribus nondum expensis) nimio rerum onere, praepostero ordine ibi ea quaerendo ubi minime sunt inueniundo, cum didicisse prius in alijs artibus & cognita huc attulisse oportuerit. Hoc nimirum uere est acerbam crucem studioso labori praefigere & aduerso flumine in studijs ferri, sibiq; ipsi compedes iniicere, & aditum obstruere ad ea, ad quae cursus instituebatur. Tales postea cum ad negotia uentum est, in media luce caliginem sentiunt,
cum

cum oculos habeant barbariei tenebris suffusos, ac tum demum sero intelligere incipiunt, quantum referat, rectum initio cursum ad metam instituisse, taciteq; non sine morsu animi & occulto pudore agnoscunt se egenos esse lucis illius, quæ disciplinis inferenda fuisset. Quibus vero impudentiæ donum contigit, ijs imperitia audaciam addit, ut stolidam temeritate in se recipere audeant, quæ sustinere non possunt. Hi subinde pudenda sui confusione graues patiuntur casus, ut omnis deperitia ipsorum opinio corruat. An non vero hæc studiorum peruersitas recta ad barbariem via sit, iudicatum minimè difficile est.

Sed ut clarius appareat, quam vitiosi fructus ex superficiali & umbratili eruditione prodeant, cum iuuenilia ingenia non expolita sermonis cultu, nondum assuefacta ad vias querendæ veritatis, nec ad intentionem in meditando, nec ad circumspectionem in iudicando, neq; etiam instructa necessarijs artibus, repente inuolant in doctrinas, quæ Ecclesiam & curiam regunt, ac hominum incolumitati prospiciunt, adiiciendum aliquid de summis studiorum fastigijs esse videtur, de quibus pauca commemoraturo mihi quæso, ut porro fauere pergatis. Theologiæ studiū inter reliqua non immerito primas obtinet, cuius cum propria sit scripturarum interpretatio, eaq; vel scholastica, ubi ad Dialecticam breuitatem exiguntur omnia, vel popularis, ubi promiscua multitudo erudienda, eiusq; affectus regendi sunt

E oratione

oratione apposita ad persuadendum, nemo non intelligit quam instructum & excultum animum adferre oporteat eum, qui munus tam preclarum docendi in Ecclesia suscipit. Ac quamuis Deus, quos dignatur ad tam sanctum officium deligere, eosdem spiritu & donis suis ornare, & coelestem eruditionem inspirare solet: ac præterea uersimum est, habitum mentis syncerum, ultro facundiam piam, pronunciationem appositam, ac gestus decentes suppeditare etiam non affectanti: tamen quia rara est ista felicitas, nec omnibus ea donorum ubertas contingit, supplendum certe est bonarum artium adminiculis, quod in donis diminutum est. Primum autem in sacrarum literarum interpretatione requiritur ut sermo genuinus scripturae intelligatur, ex quo iudicij certitudo pendat. Neque enim interpretibus semper fidere tutum est, cum sæpe nec auctoris mentem satis assequantur, nec suam commode exprimere possint, quandoquidē nonnulla ob sermonis idiomata, ne possunt quidem in alienam linguam transfundi, aut non retinent eandem lucem, intelligentiam, natiuam gratiam aut parem emphasin. Sæpe occurrit phrasis aut etiam uerbum unum, in quo situm est totius sententiæ robur, à cuius significatione in suo idiomate considerata & examinata, noua quasi lux in animo oboritur. Itaque linguarum uel mediocriter peritus, fontem intuens, plus habet in sensu scripturae eruendo iudicij quam si ex centum uersionibus auctoris sententiam ueniretur.

Imo apud eos, qui ex interpretibus sapiunt, semper hæret dubitatio, de recta intelligentia, cum ob linguæ ignorationem perspicere non possint, qua fide interpretes in transferendo vsi sint. Multi quoque loci obscuri & perplexi intellecto genere sermonis illustrari, & perspicuè exponi possunt. Hæc necessitatis linguarum consideratio, Origenem iam senem perpulit, ut in primis Hebræorum elementis reperascere non erubuerit, quod idem de se D. Hieronymus fateri non veretur. Nec Augustinum iam Episcopum ad fastiditas antea Græcæ literas animum rursus adijcere puduit. Idem fecerunt alij, qui omnes nequaquam ad hanc discendi humilitatem se demississent, nisi vsus ipsos linguarum necessitatem edocuisset. Porro cum D. Paulus Timotheum iubet ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας an non artem docendi, definiendi & diuidendi requirere videatur? Certè cum feliciter tradenda est doctrina cœlestis, & ordine secandus sermo diuinus, cum explicandi nodi difficiles scripturæ, conciliandi loci in speciem pugnantes, aut cum incidunt intricatæ controuersiæ, nihil præclari efficiet, qui Dialectica mauuductione mentis destituitur. Præterea ubi refutandi errores ac corruptelæ doctrinæ, & protrahendæ fraudes in lucem, atque euoluendæ ex erroribus & perplexitate ambigentes conscientie, quid dexteritatis expectes ab ingenio inquirendæ veritatis instrumento, non ea qua decet ratione expolito? Latent in perplexis disputationibus

sepe paralogismi, & argumentationes captiosae, & capiuntur ijs imperiti, quibus gratior est nouitas quam veritas. Hoc affectu abutuntur homines callidi, & ad Sophisticen assuesfacti, qui priuatum suum iudicium publico anteferant, & specioso praetextu pollicentur emendationem errorum alienorum cum in hoc sint ut obtrudant suos. Ac solent plerumque ij qui falsa in Ecclesiam dogmata inuehant amphibologijs ludere, & tota verisimilium rationum agmina in aciem inducere. Necessse est igitur eum qui cum illis depugnare velit Dialectico armorum genere & certandi artificio instructum esse, ut vitiosas collectiones deprehendere, fraudes & insidias detegere, & praestigiarum fontes erueret, & velut ob oculos ponere possit. Neque enim asseuerationibus aut declamationibus, sed firmis argumentis refutari postulant aduersarij, quod nemo nisi artis Dialecticae & rei simul Theologicae peritus prestare poterit. Cum primum Osiandri dogma prodisset, multi ubique declamatores erant qui vehementer in illum inueherentur, neque tamen idoneam refutationem opponerent. Ac diuersum plane statuebant Pontificij. Unus erat, qui Gordium hunc nodum Dialectico gladio solueret, & ad Metalepticam permutationem cause & effectus respicere iuberet. Prodiit & alius, qui quod D. Paulus $\omega\alpha\gamma\alpha\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\nu\omicron\upsilon\pi$ appellat, $\omicron\upsilon\sigma\iota\omicron\omega$ esse volebat, cui refutatio opposita, ex ostensa ineptitudine consequentiae à concreto ad abstractum. Ceterum imperiti & vafri (ut plerique sunt confidentes & pertinaces

ces) cum se opiniones suas tueri posse diffidunt, nec tamen à semel concepta opinione abduci se sustinent, ubi se in angustias redigi & valde urgeri vident, quod arte nequeunt, vafricie efficere conantur. Quærent rimas ad elabendum, fingunt commenta ad eludendam veritatem, transferunt in causis statum, ubi commodum est, quæ præcipua Sophistarum est sapientia, ac tum declamatur in aduersarios, damnantur boni viri, ob ea quæ ipsimet improbant, atq; ita puluis & fucus obijcitur oculis multitudinis. Hic sane Theologum oportet veritatis indagandæ instrumentum, adhibere, & controversiam ex fontibus deducere, argumentis firmis munire, verbosas aduersariorum probationes syllogismis illigare, & discutere, retinere antagonistam intra metas, ne statu translato extra causam euagetur, & tenebras offundat, sed potius vt probationum euidentiâ constrictus, nolens volens in fulgorem veritatis aspiciere cogatur. Ecquis verò hæc sine liberali doctrina efficiet? At fortasse existimet aliquis Ecclesiastæ ad populum erudiendum destinato, magno eruditionis apparatusu minimè opus esse, cum & auditorium magna ex parte plebeium videatur, & materia captui imperitorum accommodanda sit: ipsaq; etiam oratio simplicitatem sapere debeat. Atqui hæc ipsa arguunt, quanta arte & prudentia opus sit vtiliter ad populum verba facturo, in tanta auditorum dissimilitudine, & rerum maximarum varietate, vt rectè dispensetur Euangelicus

sermo, & ex personarum, temporum & locorum alijsq;
circumstantijs dispiciatur, quid, quibus, quando, ubi,
qua moderatione adhibendum sit, Constat auditorium
Theologi, ex promiscua turba, peritis, imperitis, pueris,
puellis, iuuenibus, senibus, uiris, mulieribus, magistras
tibus, subditis, negociatoribus & omnis generis opifici
cibus. Hi omnes docendi sunt de rebus maximis, de
Deo, de admirandis eius in procuranda humani generis
salute operibus, de uocatione hominum, de iustificatio
ne de Euangelio, de consequenda salute, de lege, de pecc
rato, de morte, de resurrectione, de extremo iudicio, &
similibus. Inserendæ sunt hominibus rectæ & sanctæ de
rebus opiniones Confutandi Hæreticorum, Philoso
phorum, & eorum qui à ueritate deuiarunt lapsus et er
rores. Prædicanda immensa beneficia filij Dei erga nos,
& optima Dei uoluntas, inflammandi auditores ad fi
duciam ponendam in Christo, ad pietatem, & ad cha
ritatem erga Deum & homines, adhortandi ad studi
um precandi, admonendi de suo quisq; officio, impel
endi ad poenitentiam, & vitæ emendationem seriam,
inuitandi ad beneficentiam, ad subueniendum egenis.
Castigandi vitijs implicati, & reuocandi ad vitam
meliolem, obiurgandi perseuerantes in peccatis contra
conscientiam, odiosa reddenda sunt peccata & vitia
quæ irrepserunt, quæ vulgus propter assuetudinem pro
leuibus habet. Deniq; consolandi lugentes & ca
lamitosi, animus addendus moestis & afflictis, erigendi
& con

Et confirmandi consternati, quos conscientia errorum
aut criminum ad desperationem sollicitat. Hæc pro-
fectò cuneis in mentes hominum adigi non possunt, sed
arte et prudentia opus est, qua Ecclesiastes in animos
auditorum irrepit, et veluti per cuniculos pietatem
inuehat. Nihil hic ad persuadendum doctrina cla-
mosa, aut ad mouendos animos impetuosa importuni-
tate proficitur, nec multæ frugis est oratio, quæ aures
tantum mox peritura voluptate deliniat, sed quæ tena-
ces aculeos inquit in animis auditorum, quæ rapiat,
quæ transformet, quæ multo alium dimittat audito-
rem quam acceperat. Id demum est periti et arte in-
structi Ecclesiastæ, officio suo rectè et dextrè fungens
tis. Ac tales statim oblato argumento, quod tempus
anni suppeditat, ad caput causæ tanquam ad scopum
attendunt, eoq; vim mentis dirigunt, propositiones di-
stribuunt ordine, vt prior quasi gradum præbeat se-
quenti, examinant diligenter omnia, attenta conside-
ratione et scrutinio minimè superficiali, vt inde ap-
pareat, quæ probatione, quæ exaggeratione indige-
ant. Ac qui sic ad scripturam artifices et exercitatos
oculos adhibent, singulasq; partes perlustrant, et cir-
cumstantias expendunt, et verba (quæ sæpe onerata sunt
sententijs) ponderant, longè alia videre, et ex diuite sa-
crarum literarum penu depromere possunt, quam hi,
qui sola lingue volubilitate freti, auribus saltem nego-
cium facessunt, nullo pietatis affectu cordi impresso.

Verum nos peritum Ecclesiasten iam concionantem in-
tueamur propius, & aliqua explicatius de eius officio
ac serie disserendi dicamus, ut ex ijs patefiat, quod à no-
bis queritur. Vbi à meditatione peruentum est ad di-
cendum, studet primum delinire mentes auditorum com-
memoratione magnitudinis, utilitatis, aut necessitatis, si-
bi quidē attentas aures, rei vero animū cognoscendi auis-
dum, & fauorem præparans. Diebus festis sollempnibus
artificiose fundamenta diuinorum factorum redempto-
ris ac Domini nostri IESU CHRISTI, ex veteri
Testamento eruit, adaptat verba scripturæ, typos, &
facta miraculosa, ostendit grata expositione congru-
entiam, subinde doctrinam aliquam, admonitionem aut
consolationem excerpens: Sicq; inter initia afficit au-
ditores, ut læticiam festo dignam se concipere, & ani-
mum ad pietatem inclinari sentiat. Ac proinde etiam
in his aliquandiu se sustinet, donec & se ad dicendum,
& concionem totam ad audiendum incaluisse videat.
Tum animis sic præparatis, ex diuite sacrarum litera-
rum penu salutarem doctrinam promit, & auditoribus
multo cum fructu instillat. Quæ vero probationibus
egent, ea firmis testimonijs scripturæ fulcit, historijs &
exemplis illustrat. Verum hic non subsistit pia concio-
natoris sedulitas, sed dispicere pergit, quæ partes ex arte
recipiant amplificationem, vel iucunditatē, vel affectum
aliquem moderatū, vel vehementiā. Neq; enim Theologi
est docere tantum, sed mouere etiā & flectere animos, ut
excitato affectu pio, auditores factis audita exprimant.

Ergo cum blandiri homines uitijs suis animaduertit,
& rapi eos ad cupiditates quas ipsimet non probant
transuersos uidet (ut pleriq; omnes peccamus, ma-
gis affectu corrupto, quam ignorantia ueri) tum ut
mortalibus securitatem excutiat, & errantes ad pru-
dens & syncerum iudicium reuocet, amplificationi-
bus utitur, ut res tantæ ac tales, ab omnibus esse ag-
noscantur, quales reuera sunt, & agnosci eas par est.
Excurrit, in locos communes, insertis sententijs con-
cinnis, desumptis ex ijs, quæ communiter fieri & dici
solent. Colligit ex ijs, quæ antecedunt aut sequuntur,
quantum sit illud, quod amplificatum & hominibus
persuasum esse cupit. Instat & urget contentione, ora-
nat appositis similibus (quorum congruentia non tan-
tum animos oblectat, sed mentes etiam imperitorum
ueluti soli illato illustrat & erudit, ac sepe apud eos
uim magnificæ probationis obtinet) adhibet præterea
comparationes, opponit contraria, ut quæ persuade-
re nitiur euidentiore sint. Sæpe etiam tacita sed pia
fraude, abutitur affectu & opinione populari, ad pro-
fectum pietatis, adumbrando res spirituales, obiecta
imagine rerum corporalium, ut rudes animi hoc il-
lectamento, à terrenis ad cœlestia subuehantur. Miri-
fice uero afficiuntur & mouentur animi artificiosa re-
præsentatione ideæ, cum per hypotyposin seu energi-
an species rei amplificandæ, ita euidenter subiicitur
animis auditorum, ut res ipsa sub oculis uersari, aut

geri non narrari uideatur. Præterea uix quicquam fa-
uentioribus animis excipitur, quam cum historico sen-
sui, quem D. Paulus literam appellat, allegoricus seu
mysticus sensus, tanquam basi substrata inducitur. In-
gens profecto ad flectendos animos à pietate non ab-
horrentes incentiuum est, ueritas per allegoriam relu-
cens, atq; isti allegorici colores, non tantum ad oblec-
tandum fastidiosos, sed ad confirmandos etiam uacil-
lantes plurimum momenti adferunt. Porro ubi com-
munes materiae incidunt, ueluti cū extolluntur uirtu-
tes, aut taxantur uitia, sollicitat in auditoribus affectus
leniores, qui delectent magis quam perturbent, quibus
cum insistitur, non raro lachrimæ pie affectus pro-
rumpere uidentur. Verum ubi res uehemens πᾶσι
exigit, ibi δέινωσιν suam exerit, & tonat per πᾶ-
σι καὶ τὸν ἄνθρωπον totum hominem concutientia, aut sufflat in
pectoribus commotionis & perturbationis flammam
praesertim cum in auditoribus habitus mentis refrig-
isse aut uelut dormire uidetur. Eiusmodi tractando-
rum animorum artifices, non tantum affectus accen-
dere possunt, sed norunt etiam retinere auditorem, in
affectu excitato inflammatum, sciunt quale huic igni
subijciendum sit pabulum, ne ardor deflagret, cui rei
mire utiles sunt dialogismi appositi & acres, com-
mode inserti, & epithetis emphaticis quasi gemmis
illustrati. His omnibus si adhibeatur oratio, apta rei,
ornata uerborum luminibus, paraphrasibus subinde
intermixtis

intermixtis, & sententiarum pondere grauis, eaq; vultu gestuq; decente adiuuetur, dici non potest, quanto pere ea ad auditorum animos ad pietatem accendendos, & in pio affectu retinendos faciat. Atq; hoc non est affingere sua phantasmata scripturae, aut addi aliquid veritati (cui praeter eloquentiam nihil addi debet,) sed est, ipsas sacras literas, (velut insigne peristroma) explicatas oculis subiicere, & animis auditorum inferre. Vt inde liquidò appareat, quam insulsi sint clamores illorum, qui liberalia seu Philosophica studia errorum seminaria esse vociferantur, cum longe aliud sit Philosophicis opinionibus vim inferre scripturae, aut fingere dogmata è ratione extructa, quam Philosophicarum artium adminiculis coelestia oracula enarrare & animis infigere. Minimè est ea Philosophicarum artium audacia, vt se Theologiae aequare, multo minus praeferre optent, sed in famulitium tantum, veluti necessaria instrumenta recipi cupiunt. Cæterum nulli his studijs iniquiores sunt, quàm qui ea non didicerunt, quiq; eorum penuria frugibus glandes praeferre coguntur. Ex horum vel nuda commemoratione animaduersum arbitror, quantum dexteritatis dicenti ad populum accedat, ex cultu ingenij per humanitatis studia acquisiti. Verum multo maior utilitas & fructus pietatis redundat in auditores, cum ex Theologico penu, post declarata dogmata demonstratur vsus, & salutaris doctrina accommodatur, tum ad vniuersam Ecclesiam, tum priuatim

tim ad singulorum conscientiam. Est & hic singulari
arte & prudentia opus, ad infigendum hæc animis au-
ditorum. Vulgus etenim indulgens curis intus obstre-
pentibus parum attentum & obliuiosum est. Proinde
periti concionatores subinde attentionem renouant, &
vt ea quæ maximè meminisse iuuet, efficaciter multitu-
dinis memoriæ infigant, excerpunt & commendant po-
pulo memorabilia quædam, quemadmodum ludimode-
ratores pueris è schola domum redituris, aliquid insigne
ex latino sermone ediscendum & ruminandum propo-
nunt. Hæc illi subinde inculcant, & memoriæ eorum
refricant, relinquentes simul aculeos in animis, nullo
alio consilio, quàm vt semen diuini verbi altius menti
infigatur, & cordi impressum erumpat in fructū pieta-
tis. Præterea cum vita humana plena sit miseriarum et
calamitatum, sacræ uero literæ ingens sint pelagus con-
solationum in omnem euentum, uenantur undiquaq; cõ-
solationes & quietationes animi efficaces, magno usui
futuras, cū precaturus obstrepet propria indignitas, aut
criminum conscientia, cum animus tentatione percul-
sus ad ruinam sollicitabitur, cum sub graui crucis onere,
auxilium differente DEO, cor anxium palpitabit, de-
niq; cum ad ultimam cum morte luctam peruentum fue-
rit. Sæpe etiam fit, vt versantium in Repub. errores &
dedecora, ac mores multitudinis passimq; inualescentia
flagitia castigationem mereantur, eamq; talem, vt omnes
ordines perstringendi, nec vlla hominum conditio præ-
tereunda.

tereunda sit, postulante id loco scripturae qui enarratur.
Hic qui tractandorum animorum tenent artificia, non
protinus agresti asperitate aut Tragicis clamoribus de-
bachantur in quoslibet, sed sanabiles ciuilitate ad officii
um reuocant, exposita vitiorum turpitudine, atq; oportu-
tate nonnunquam amoliuntur, si quid tacita auditorum
cogitatio obiectura videatur, praefatiunculis occurrunt
offensioni, & reprehensionem subinde consolatione as-
liqua contemperant, addunt obiurgationi vires et pon-
dus ex verbo DEI, vt non solum tacite commoueantur
auditores, & peccatum a se grauiter agnoscant & do-
leant, verum etiam vt perculsi animis se substernant, &
anxij de seria emendatione cogitent. In praefractos vero
& intractabiles, implicatos sceleribus, & in peccatis
contra conscientiam obstinate permanentes, iaciunt
sæua obiurgationum iacula, emittunt exprobrationum
fulmina, & terrēt minis atrocium atq; eternarum pœ-
narum. Postremo omnium peritorum dispensatorum
verbi diuini hoc perpetuum studium est, in concionibus
omnia tandem in hunc finem dirigere, vt primum ho-
mines immundiciem suam, & peccata, eorumq; magni-
tudinem & foeditatem agnoscant, excitato pudore, do-
lore atq; odio vitiorum. Deinde vt seueritate diuini iu-
dicii consternatos erigant, & incitamento illis sint, ad
fiduciam in Christo firmiter collocandam, ad apprea-
hendendam diuinitus promissam misericordiam, ad ac-
cipiendam remissionem peccatorum gratis donatã, vtq;
amore

amore accendantur, ad tam immensam bonitatem Dei, et meritū illius prædicet qui nos vita sua chariores habuit. Tandē homines territos ac rursus fide erectos ad feriam vitæ emendationem inuitant, hortantur, impellunt, urgent, ut excusso quisq; corde suo & per Decalogum examinato sibi ipsi notus esse incipiat, & lapsus uitare studeat, nec ad anteactæ vitæ sordes redeat: sed perseuerando in pio proposito ad immortalis vitæ hereditatē & gaudia contendat. Sed nimium excurrit oratio, dum proposito eruditorum interpretum uerbi diuini exemplo ostendere conor, honestorum studiorum si ad res diuinas explicandas accommodentur præclarum usum. Inde nunc existimatu facile est, quid bonæ frugis in tradenda doctrina cœlesti expectandum sit, à linguarum rudi & ab ingenio inculto, artibus liberalibus non expolito. Qui enim à linguis destituti & inopes sunt, necessaria eruditionis parte, & luce intelligentiæ carent, De sensu igitur sacræ scripturæ in locis obscuris diuinare magis, quàm certi aliquid statuere possunt. Et sæpe ex non intellecta vna voce, aut ignoratione phrasæos, incidunt in pudendos errores, & deliras excitant Tragœdias. Porro qui ingenijs sunt intricatis & ad methodicam rationem non assuefactis, ineptissimi sunt ad docendum, & multo magis inuoluunt res, quarum explicationem pollicentur. Cum enim nebulae illis sint ante oculos offusæ, miscent quæ oportebat seiungi, pro veris vicina arripiunt, & quod sciunt an sciant nesciunt.

In re=

In redarguendis falsorum dogmatum assertoribus, pi-
sces sunt, nisi refutare sit declamitare, eleuare aduer-
sarij dicta, ingerere conuicia, aut urgentem digres-
sionibus abducere à proposito, aliasq; rimas ad ela-
bendum querere, aut effugijs non apparentibus im-
probitate abstertere antagonistam. Inprimis uero do-
lendum est, ad tam sanctum officium passim irruere,
& in suggestum admitti homines retusissima men-
tis acie, nec humanis nec sacris literis eruditos, igna-
ros (non dico rei Theologicæ) sed uitæ etiam cõmu-
nis, uix integro interdum sensu communi. Hisane fretæ
linguæ uolubilitate in locis alienis frigidissime rheto-
ricantur, cum è proposito contextu sumenda esset
doctrinæ & consolationis materia, nihilo feliciores
in probationibus aut deductione locorū. De re dicunt
paucissima, præter rem infinita. Scatent omnia excur-
sibus, cum uagentur sine scopo nec constitutum ha-
beant quid uelint in animis auditorum efficere, neq;
possunt miseri ad auiam loquacitate delati in uiam &
ad institutum regredi. Aliqui etiam sibi placent inter-
pretationibus longe petitis aut duriter tortis à com-
muni sensu alienis, uiolentis allegorijs, ineptis dialo-
gismis, & ne desint figuræ, uocem tollunt clamore su-
bito, cum res nihil habeat uehementiæ. Quomodo ue-
ro animos trahent aut flectent, qui nescij sunt cui rei
quæ uerba, quod orationis genus adhibendum sit,
quando, apud quos, quo ordine, quibus figuris, quo
uultis

uultu & gestu dicendum sit, qui nihil dicunt suo loco,
& sententijs utuntur frigidis & iacētibus, quæ animos
deiciant citius quam excitent. Ab eiusmodi concioni-
bus cū in magna uerborum profusione nihil dicitur, et
pro eloquentia inanis & affectata loquacitas adfer-
tur, multi pietatem suam languescere potius quā ex-
uscitari sentiunt. Quid dicam de affectibus mouendis
quos aliqui magis in seipsis sentiunt, quā mouent in a-
lijs, nisi forte stomachosæ & amarulentæ inuectiones,
notationes hominum obliquæ, & excandescencia quæ
hominū potius quā uitiorum odium præ se ferat, mouē-
dorum affectuum sint artificia. At his non mouentur
sed offenduntur auditores, atq; inde fit ut multi cū tæ-
dio & festidio audiantur, aliqui etiam ob imperitiā,
loquacitatem & actionem indecoram fiant fabula
uulgi & conuiuiorū. Ecqua uero ad contemptum uer-
bi diuini, ad Epicuæram profanitatem et ipsam barba-
riem maior esse potest præparatio?

Vertamus nunc oculos ad excellentem & omni ho-
nore dignam legum scientiam, ad quam irrumpere ui-
demus adolescentes, qui nondū ex puerili studio (cuius
officium & finis est emendate loqui & scribere) emer-
serunt, nec ad huc necessarijs artibus instructi sunt, sed
allecti splendore professionis, statim ad apicem tam la-
te patentis disciplinæ sine pennis prouolare gestiunt.
Hos necesse est misere se torquere in intellectu senten-
tiæ legum, cum non ex uerbis sensum depræhendere,
sed

sed ex sensu de uerbis diuinare cogantur. Quomodo autē res intelliget, qui uerba & pbrasin non intelligit, quibus res significantur, cum uerba rerū causa reperi-
ta sint. Nequaquam uero rem negligit, qui uerba tractat, sed uiam sibi ad rerum cognitionē struit, dum sensum uimq; legis ex uerbis eruit. Non igitur fastidiose aspernanda est Grāmatica uocabulorum cura, sine qua intelligentia & doctrina caeca est. Ac ulciscitur se probe ars illa loquendi & scribendi, cū contemptoribus suis loquendi & scribendi silentium imponit, aut tentantes aliquid corruere facit. Est alioqui commentatorum dictio impolita & lutulenta, ut nisi quis antea sibi facultatem latinæ orationis pararit, infici se triuialitate illa & locutionū haud latinarum ineptitudine sentiat. Tribuitur autem legibus & iurisconsultis ueteribus laus proprii sermonis (referente id etiam Fabio,) ad quem si se assuefaceret iuuentus, neq; relicta statim initio textus proprietate à commentarijs pendere uellet, daretq; operam ne ignara esset memoriae antiquitatis, rerum & consuetudinum fori, totiusq; ciuitatis Romanae, praeterea historiarum & temporum, minore fortasse negocio & feliciore successu doctrinam iuris eruditam sibi compararet. De Dialecticæ necessitate Ciceronem loqui malo. Sic enim (inquit) Brute existimo iuris ciuilis magnum usum & apud Scaeuolam & apud multos fuisse, artem in hoc uno, quod nunquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi Dialecticam didicisset, etc. hic attulit hanc artem omnium

F

nium

num maximam, quasi lucem ad ea, quae confuse
ab alijs aut respondebantur, aut agebantur, sed ad-
iunxit etiam & literarum scientiam & loquendi ele-
gantiam. Quod si haec ars mentem studiosi non forma-
rit, & lucem accenderit, quomodo is ad leges uniuersa-
les, facti species seu casus accommodare poterit?
quomodo argumenta eruet? quomodo se expediet ex
labyrinthis, ad ratiocinandum non assuefactus, &
iudicij norma destitutus Elegantiam uero sermonis &
morum doctrinam adferendam esse ad iuris studium,
nulla indiget expositione. Sed aspiciamus in huius stu-
dij praepostere inchoati euentum. Simpliciores, qui
sine consilio, sua saltem ducti opinione nimis pro-
pere hanc disciplinam aggressi sunt, postquam in uasto
legum & commentatorum pelago multo tempore na-
tarunt, tandem qua in re operam suam collocarint,
quousque peruentum sit in studijs, quid agendum restet,
quomodo ad usum accommodanda sint quae didice-
runt ignorant, nec sibi ipsis mederi possunt, quod ac-
cidere necesse est ijs, qui res tam arduas destituti instru-
mentis aggrediuntur. Si quid incidit, ubi Respub. ip-
sorum iudicium, consilium aut operam flagitat, ag-
noscere cum pudore coguntur iudicij inopiam, mentis
caliginem & sermonis infantiam. Qui uero ingenio
ad uasfricem sunt propenso, hi sine legibus in foro gut-
tur exercet instructi formulis actionibus & constitu-
tionibus litium, lites ex litibus serunt earum semina
ubique spargunt, mouent, dilatant, augent, & in longum
texunt

Texunt litium iudiciorumq; telas. Detinent homines
in odio quæstus causa, retia tendunt, incautis, ludifi-
cantur iudices, urgent ius summum, suis uero clientia-
b. de causa quantumuis deplorata spem bonam adferunt.
Hi præclarissimam legum doctrinam inuidia onerant,
quasi causidicos callidiores faciat, ac non potius uiros
iustos efficiat, qui sancte & innocenter officium su-
um administrent, quiq; uere sint iuris, aut potius (ut
Cice: ait) iusticiæ consulti. Videas uero aliquos frustra
in confessis probandis multam sumere operam, cum fri-
geant in his quæ causæ sunt propria, alios totos esse
in citandis ex aliena fide legibus, ac profundere uerius
quam promere leges, nimirum ut carthæ expleantur,
non ut negotio suscepto pondus aliquod ex talibus le-
gum sarcinis accedat. Amat isti congesta non digesta,
ut iuris potius indices quam consulti esse uideantur.
Quanto autem dexterius iura tractant, qui ad causas
agendas ingenium eruditione expolitum & iudicium
rectum adferunt, expensoq; totius negocij statu, fun-
damenta ingeniose & cum iudicio eruunt, ac paucis et
ad cardinem totius causæ recte aptatis argumentis po-
tius quam legum aceruis utuntur, magisq; ad ea quæ
sunt causæ, quam ad parerga respiciunt. Quod si quis
ad tam sanctum officium respondendi de iure, animam
ad pietatem & uirtutem compositam adferat, qui con-
trouersias tollere quam constituere malit, (ut Cicero-
nis uerbis utar) merito sic affecti sacerdotes iusticiæ
appellantur. Tales si sederent ad gubernacula, ac ius
dicerent, agerentq; causas non tot litibus forum per-
F 2 streperet.

streperet. Nunc multa ubiq; inter homines auditur
querimonia, eos quorum fidei res et fortunas suas ho-
mines afflicti concredunt, ius habere in quaestu, liquida
reddere turbida, recta ad iniquitatem deflectere, detur-
bare & exuere bonis possessores, gementibus interim
& plorantibus uiduis & pupillis. Aliquos etiam ra-
pi transuersos affectibus, attrahere sibi & alijs peri-
cula stultis cupiditatibus, concutere Respublicas, in
praecipitium deducere regna & ciuitates, creare inson-
tib; pericula, libidine non legibus metiri omnia, &
fingere praetextus, ut tegatur affectus. Ad quae omnia
qualis sequatur in iudicijs confusio, affectibus iustici-
am in ordinem redigentibus et aequitate exulante, no-
tum est quotidianis hominum quaerelis. Indicat & ip-
sa studiorum temeritas & infelicitas, quales iuris sa-
cerdotes habitura sit posteritas, cui in hac quoq; par-
te de barbarie metuunt uiri sapientes, cum eius indi-
cia se passim proferant. Reliquum est ut paucis adij-
ciam barbariei in corpora & uitam hominum gras-
saturae ex medica ante praesagia, quae quo charior sua
cuiq; uita & salus est, eo fauentioribus animis (ut spe-
ro) accipientur. Eximium sane munus est, homines a-
gros e ualetudinis discrimine eximere, & sublatis cau-
sis, quae interitum minabantur in uita retinere, sed idē
officium praeter artis Medicae cognitionem ingentem
requirit eruditionis apparatus, praeterea ingenium
sagax, mentem ad discursum assuefactam, iudicium,
singularem prudentiam, circumspectionem & uigi-
lantiam,

lantiam, dexteritatem in accommodando, usumq; & experientiam multam. Tot namq; infesta sunt homini morborum genera, succrescentibus indies novis, tam multiplex in humanis corporibus diuersitas, tanta circumstantiarum uarietas, infinita ferè herbarum aliarumq; rerum ad Medicos usus creatarum discrimina, ut liquido appareat, non cuiusuis esse remedia morbis & corporibus aptare, sed ad ferendas naturæ suppetias idoneas & salutare (qui unicus Medici scopus est) exercitæ cogitationis & eruditionis uiro opus esse. Huic necesse est cognita esse omnium morborum & symptomatum genera, differentias, causas & indicia, ut oblato ægro protinus agnoscat morbum, de quo is sit genere, quid constituat eius essentiam, quæ illius sit natura, qui mores, quid cohercat, quid genuerit, & nunc foueat aliatq; morbum, & quem tandem habiturus sit exitum. Deinde & partes omnes humani corporis perspectas, & temperaturam totius & membrorum indagatam esse oportet, ut sciatur quæ pars affecta, & an illa à crasi quæ natura ei tribuit deuiarit, an organica peruersa sit symmetria, uel an redundet aliquid in alias partes, ob sympathiam, et consensum certorū quorundā membrorū. Tum porrò præsidia inuenienda, naturæ morbi aduersa, & ægri commensurata viribus, regendusq; animi discursus arte, per indicationes curatiuas, quarum admonitu medicamenta & victus accommodentur ad gradū morbi

Et vires egrotantis. Inde enim apparet, quid agendum, quo genere auxilij, qua præditi qualitate, præterea quantum & quoties, quando, ubi, quomodo, & quo ordine singula administranda sint. Tante sapientiæ & utilitatis doctrinam, methodo compræhensam, rationibus fultam, observationibus auctam, & experimentis confirmatam, merito grata mente acceptam ferimus viro incomparabili Hippocrati, qui primus experimenta ad rationem revocavit, artemque inde extruxit, cuius fide Medici annis bis mille artem laudabiliter exercuerunt. Deinde ingeniosissimo interpreti eius Galeno, à quo omnia mirifice, Philosophicorum studiorum adminiculo per methodos definitionis, diuisionis & analyseos explicata sunt, cuius industria & opera ars Medica omnibus suis partibus exculta, & ad absolutionem perducta est, ratioque ostensa, quomodo deductio artis & instrumentorum ad usum fieri debeat. Plena etiam manu laudem tribuimus autoribus tam recentibus quam veteribus, cuiuscunque nationis, qui artem tantæ ad vitam retinendam necessitatis, suis inuentis, rationibus, observationibus & experimentis auxerunt & illustrarunt, eaque omnia fideliter ad posteros transmiserunt, ut iam medicamentorum usitatorum, virium bene cognitarum, & longo ævo usuque probatorum copia suppetat, neque desit idonea eorum correctio. Nec mediocris facta est accessio per destillationum & separationum artificia, quibus liquores stillatici & olea elicuntur. Inprimis vero per artificiosam succorum extrahendorum industriam, qua remedia Medicis usibus redduntur

redduntur magis congruentia, vi interna educta, & liberata ab impedimentis inutilis materiae, ita ut non tantum sapore sint commendabilia, sed in exigua etiã dosi mirè sint efficacia, & promptius vires suas exerant, nullo periculi metu. Ac semper magis magisq; natura se aperit hominibus ingeniosis, ut ex infinita naturæ potestate, subinde commendabile & frugiferum aliquid ab industrijs erutum in Medicinam inferatur. Neq; vero sua laude fraudanda sunt fortia illa igneque edomita remedia, quæ Medicinæ famula Chemia suppeditat, cuius industria minimè improbanda, sed favore potius prosequenda est. Nam & illa suo tempore et loco utilia sunt, si rectè præparentur, et vera medendi methodus & usus congruus seruetur. Nam absq; Methodico discursu etiam optimis medicamentis non tuto utimur, ac ubi excultum à schola Philosophica iudicium experimenta non regit, casus & temeritas est, etiamsi interdum iactus aliquis fortè fortuna benè cadit. Verum in hanc quoq; excelsum artem, quæ de genere humano optimè meretur, ingerunt se extremæ vanitatis impostores, quos fames cogit & quæstus allicit, ut perditis ac desperatis rebus, cū alioqui nihil didicerint, ad hanc ceu sacram anchoram confugiant. Hi nulla liberali doctrina instituti, nec ingenio à Philosophia formato, ad medicandū profiliūt, cum nec vniuersales canones norint, nec deductionem artis ad usum viderint. Morbos omnes audacissime curandos suscipiunt, & certam ægris in maximis periculis salutem ex arte pollicentur, quam tamen ipsi temeris

tati casuum committūt. Nihil pensi habent, quid quisq;
morbus, quo suo tempore postulet, quid cuiusq; corpo=
ris proprietas ferat, ac remedia quorum nec causas nec
naturas norunt, indifferenter magna egrorum pernicie
exhibent, non exploratis hominum naturis, non conside=
ratis viribus, nullo discrimine temperaturarum, negle=
cta ratione loci affecti, ætatis, habitus, corporis, consue=
tudinis, temporis anni, aliarumq; rerum à quibus periti
Medici indicationes suas desumere solent. Tantum in
communia quedam morborum respiciunt, ac mox sua
quedam secreta arripiunt (nempe usu compertas in ali=
quot morbis antipathias) eademq; ubiq; valere opinan=
tur. Nihilominus effrontes isti Thessali efferrunt se supra
omnes, & freti stulta vulgi credulitate, multa de artis
sue mysterijs fortiter mentiuntur, grandia sua facta &
curationum miracula circulatorum more decantant, sed
eorum saltem, qui naturæ beneficio periculū euaserunt,
reliquorum qui temeritate ipsorum succubuerunt, nulla
tanquam olim Megarensium fit mentio. Porrò ubi non
succedit ipsis medicatio, & egros periculi grauioris
metus adigit, ad expetenda peritiorum consilia, quãdo=
quidem euentum magnificis promissis haud respondere
vident: dictu mirum quanta utriusq; istorum inflatorū
sit impudentia & improbitas, aduersus eos qui in artis
operibus cum laude consenuerunt, à quibus de inscitia
& erroribus admissis coargui metuant. Magno igitur
studio sua occultant pharmaca, malignaq; vasfricie lu=
bricitati student, ne mediij teneri possint, & ne fraude
detecta

detecta appareat, quale sub Medici persona delitescat animal, interim errata sua, quo possunt honore nequiter prosequentes. Vbicunq; datur occasio occultè fidelè Medicorum operam ægris suspectam reddere conantur, ex omni euentu calumnias venantes, quemadmodum aranea vndiquaq; venenum exugit. Si quid boni euenisse vident, alieno labore partam gloriam verbis in se transmouent, fingunt additamenta aliqua à se clam facta, sine quibus successus curatura fuisset curatio. Si quid secus accidit, erratū omne reijcitur in alios, & modo hoc, modo illud, culpā sustinere cogitur, vt ipsi collum à fune abducant. Ac si res etiam pessime cadat, vltimum illis refugium est, quesito aliquo prætextu ægri desertio, aut ciuitatis porta. Cæterum non immerito miretur aliquis, vnde talibus Medicastris, qui interdum subito tanq̃ fungi nascuntur, tanta apud vulgus sit autoritas. Ad hos enim concurritur, hi feruntur in oculis, coluntur à populo, & ab hominibus populari opinione fascinati ad cœlum tolluntur, cum nullum inter eruditos locum inueniant. Scilicet instructi veniunt ad medendum seu ad imponendum verius, artibus non Philosophicis sed veteratorijs, tenent artes decipiendi lucrosas, norunt imponere simplicibus, callide obseruant affectus credulorū, his se attemperant, neq; tamen interim ab ijs hominum incolumitas, sed ostentatio & crumena turgida queritur. Vulgus autem imperitum, nouitatis auidum, cum ficticia illa curationum miracula, auribus arrectis cum stupore audit, protinus ad audacissima promissa attonitum, in excelsam spem sanitatis erigitur. Oculos enim figit in paucos successus,

Sus, quin saepe rem ab vno euentu aestimat, nec circumspicit, quot hominibus ante tempus vita prius elisa sit. Itaque vulgi stultitia ipsorum stat autoritas, fortunamque & existimationem suam isti non suae peritiae, aut medicamentorum efficaciae, sed populi facilitati debent. At plerumque fit, ut aegris salutem polliciti, tum demum egregie illam praestent, cum morbi terra obruuntur. Verum ab his impostoribus transeamus ad fumosos Vulcani filios, ad eos potissimum, qui in furnis naufragio facto rebus desperatis, in candidam medendi artem, atris fuligine, & foedatis illuue manibus inuolant, & persona Medicorum induti homines de valetudinis statu, atque etiam e vita deturbant. Ex horum numero sunt portentosae vanitatis erroneae, qui Chymericas suas fatuitates in Medicinam inferre, eamque absurdis paradoxis contaminare, ficticia verborum obscuritate inuoluere, & foeda barbarie euertere satagunt. Spondent ex furnis metallicis miracula, iactant gloriosa in medicatione facinora, eructant magnificarum promissionum ampullas, tument ut tantum non crepent scientiae opinione, in maxima rerum omnium ignoratione. Ut autem praeteris aliquid esse videantur, & admirationem sui apud vulgus excitent, magno supercilio fastidiunt veterem medendi viam, quam nunquam didicerunt, & petulanter erudite antiquitatis doctrinam, rationis, consiliorum & experientiae plenam allatrant & conuitijs proscindunt. Et quoniam nescit pudere impudentia, non deterret istos pudor, quo minus summos viros praese contemnant, & impetant. Estque iam eo peruentum arrogantiae, ut (quod nullus vn-

lus vnquam summorum artificum ausus fuit) nimirum vt
se principibus artis Medicæ Hippocrati & Galeno æqua-
ret, hi nullius precij homines, temerario ausu & inani ia-
stantia, etiam se illis præferre non dubitent, qui tamen
omnes in vnum collecti Hippocratis vmbra referre non
possent. Sordet indocto illi Alcumistarum gregi antiqua
illa rerum natura, nouam & somniatam adferunt ex Al-
cumisticis principijs, omniaq; ad commenticiam analogiã
& capitis sui somnia censerunt. Quod si quis oculos
admoueat propius, is phantasmata illa super quadam per-
suasione extracta, & similitudinibus tantum niti anim-
aduertet. His inanibus fundamentis sua superstruunt pla-
cita, nouamq; & insolitam ad medicationem per metalla
viam struunt, inuolutam figmentorum præstigijs, vanitate
verborum & fumis Alcumisticis. Abducere conantur ani-
mos hominum à rationis euidencia, & à sensu communi,
quasi omnia cerebrosis ipsorum capitibus & phantasijs
metienda sint, quoq; remotius illa à veterum scriptis ab-
strahere possint, eò magis commentum ipsis placet. Quæ-
admodum autem nihil tam deforme est, quin amatorem
inueniat: ita nulla tam absurda est opinio, quin applauso-
res habeat ex tacita ingeniorum congruentia. Istine pene-
trauerint in veræ medicinæ adyta, & ad ea in quib. posita
est artis perfectio? istine lumine rationis res in arcanis na-
turæ latentes eruent? & lucem arti Medicæ inferent? qui
portentosis opinionib. affectatis ænigmatum obscuritati-
bus, barbaricis verbis (quib. nomina & res confunduntur)
quicquid lucis arti à summis ingenijs illatum est, obtene-
brare

brare nituntur. Quomodo autem opus istorum potest esse
sanatio, qui nullum medicationi suæ certum scopum præ-
figunt, qui ad nullas nisi cōmenticias causas respiciunt, &
in omnibus ad Chimerica tantum principia sua alludunt,
deniq; ubi præpostero ordine causæ morborum accommo-
dantur ad remedia, non remedia ad causas, et omni prope-
modum pedi vnus inducitur calceus vitriolatus, aut tinctu-
ra aliqua picturatus. Notum est infelicibus exemplis, quã
multi medicinæ istius nouitate ad extremũ perducti sint,
qui diu superstites manere potuissent. Ac ostendit euentus
peregrina ista naturæ suæ contrarietate, magis principijs
vitæ, q̃ causis morborum aduersari. Neq; vero cuiusuis est
metalla à venefica qualitate exuere, etiamsi imperitissimi
quiq; tenebriones eam sibi peritiam confidenter arrogāt,
Nec statim sunt remedia, quæ secretionis arte ad vltimum
subtilitatis gradum perducta sunt, quibus plerunq; Vulca-
nici nō morbos sed animas à corporibus separant. Rectius
autem consulerent conscientiæ suæ, si illa quæ in furnis
excoquunt subijcerent censuræ hominum peritorum, qui-
bus ἔγχεῖσθαι Chimica nota esset, & qui Alchymistica
illa methodo regere, & cum iudicio ad vsum aliquem in-
noxium accommodare possent. Nam medicamenta quan-
tumuis nobilia, aut nihil, aut perniciosa sunt, nisi rectè vtē-
tem habeant. Est igitur medicatio illorũ similis tesserarũ
iactibus, in qua felicitas casui non arti ascribitur, Quod
si fortasse vnus aut alter ad sanitatem redit, in quo natu-
ra causam morbi discutere potuit, multos vicissim nume-
res, quibus vita in mortem commutata est. Ceterũ tenent
illi

illi alias quoq; artes, quibus nomen sibi parent & crumenas exugant. Captant enim existimationem ex nomine Paracelsi, quod apud nouitatis auidos gratiosum est, quasi huic vni assurrexerit, & se nudauerit natura, qui tamen alijs longæuitatē pollicitus, mortem sibi suis metallicis accelerauit. Proxima est conspuere monimenta artis nostræ principum, cognitionem totius naturæ sibi ascribere, in se deriuare artis peritiam omnem, alijs ignorantiam impingere, & nequiter de existimatione eorum detrudere, simplicibus verborum præstigias & fumos offundere. Interim vigilantissimis oculis circumspiciunt, quo cuiusq; animus propendat, qua quisq; sit affectione, ingenio, moribus, maximeq; fugitant illos, quibus ob animaduersam vanitatem suspectos se esse metuunt: Nugacitatis vero suæ admiratores & precones colunt venerabundi. Diuitibus gemmas potatiles adornant, & hariolando se insinuant, videri volūt futura prædicere ac recondita detegere. Estq; ex artis mysterijs non postremum, appendere certis horis fusa amuleta, vt eiusmodi effigiatis & constellificatis (vt appellant) figuris morbi profligentur. Quam verò optandum esset fundi aliquam metallicam figuram posse, quæ fatuitati aduersetur & versutæ hypocrisi. Quid vero tandem futurum est, si perditis quibusq; erroribus in vitam hominum impune grassari licebit? Quales tandem Medicos habitura est posteritas, si carbonum tractatio Philosophiæ studio præferetur? Hæc rei indignitas, artis contemptus, & barbariei fœditas multorum animos alienat, ab hoc bene merendi de valetudine mortalium laudatissimo

mo stus

mo studio. Sed cur mirum hoc de medico studio uideatur, cum ubiq; se proferat barbaries, nosq; in ea tempora inciderimus, ubi aratores à stiuā in suggestum profiliunt, ubi oua gallinis præeunt sapientia, ubi iudicium sibi quisq; sumit de rebus maximis, quas nunquam cognoscere studuit, ubi discipuli demoliuntur quæ præceptores extruxerunt, ac quod maxime est ridiculum, ubi libros edunt omniū artium rudes, ijs etiam linguis quarum nunquam elementa attigerunt. Circūduxi uos humanissimi auditores, per præcipua ordinum & professionum genera, longiore quam temporis angustia patitur oratione, sed multo breuiore, quam requirebat rei magnitudo & uarietas, quæ tanta est, ut copia magis cohercenda, quam studio aliquo inquirenda fuerit. Ex ea iam apparere arbitror, quanta rerum humanarū in omnes partes uersarum confusio immineat, quantopere omnia in barbariem inclinent aut ruant uerius, quamq; lachrimabilis miseræ posteritatis futura sit conditio. Proinde cum nostram ætatem urgeri iam mole pœnarū uideamus, hominum sceleribus id promercentibus, & dissolutio ac confusio harmoniæ societatis humanæ multo tristiora miseræ posteritati tempora prænunciet: orandus est Deus, ne barbaricam uastitatem in his regionibus fieri sinat, Sed ut exuscitet gubernatorum animos, ad considerationem afflicti status publici, & recordationem sui officij, eosq; in his tumultibus gubernet & flectat ad salutaria consilia, Reipub. & Ecclesiæ utilia.

Deinde

Deinde ut idem misericors Deus, foueat moestas Ecclesi-
as, & vulnera eius sanet, nec extingui sinat accensam Eu-
angelij lucem ab ullis hostibus, ut transmitti ea incorru-
pte ad posteros possit. Utq; etiam reprimat furores Sa-
tanæ & asseclorum eius, in Ecclesiam grassantium. Frenū
quoq; iniiciat dissipatoribus Scholarum, & inquietis per-
turbatoribus disciplinae. Deniq; ut regat & benè fortunet
iuuentutis studia, ut in hoc bonarum literarum, & hone-
starum artium quasi naufragio, discentes terram videant,
& in curriculo studiorum sapienter instituto feliciter de-
currant, Deo grata faciant, & Ecclesiae ac Reipub. utilia
fiant organa. Nos quoq; retineamus confessionem doctri-
nae, à beatis præceptoribus fideliter monstratam: ornemus
Ecclesiam nostris studijs, tum vita & moribus: nec vulne-
ra æumnosæ matris (quæ magis à filijs quàm ab hostibus
laniatur) exasperemus nostra intractabilitate: studeamus
concordiæ: amemus & magnificiamus studia & scholas,
nec vulgi corruptissimo iudicio seu errore potius abducī
nos sinamus ab amore & cultu studiorum, tantoq; nunc
magis, quanto in maiore difficultate rem literariam ver-
sari conspiciamus. Contemnantur sanè illa ab imperitis,
idiotis, negotiatoribus, centauris & illis ipsis qui propter
doctrinæ aut sapientiæ opinionem alicuius precij esse pu-
tantur: Amentur etiam frigidius à potentibus, & necessa-
ria ope destituantur, alibi quoq; negligantur & infesten-
tur: attamen generosa ingenia, erga publica commoda
benè affecta, minimè moueri decet vulgi dicacitate (Vul-
gus autem appello omnes incultis ingenijs præditos) sed
sustens

sustinent se potius sapientum virorum (qui vere iudicare
possunt) iudicijs. Exuscitent seipsos magna bonarum
artium utilitate, quandoquidem linguam expoliunt, for-
mant iudicium, pectus erudiunt, squallorem & rubiginem
menti detergunt, pensant doctrina quod ingenio diminus-
tum est, imò ingenium iuuenile senili prudentia imbuunt,
solæq; immortalitatem magnis viris largiri possunt. Mo-
ueat etiam honestos animos Reipub. periculum, & bar-
bariei metus, ut studijs diligentius incumbant. Nisi enim
alia inibitur studiorum ratio, quam superficialia illa, quæ
nunc pro uera eruditione appetitur, paulo post Ecclesia
laborabit penuria fidorum ministrorum, principes desti-
tuentur sapientibus consiliarijs, ægris deerit peritorum
Medicorum copia, scholæ non habebunt eruditos profes-
sores, & formatores ingeniorum idoneos, Atq; ita non
sentientibus nobis, elabetur è manibus prior illa stu-
diorum felicitas, & natio nostra non quidem
vetere, sed multo nocentiore barba-
rie opprimetur.

F I N I S.

Qui res humanas, & auorum, nostra, nepotum
Tempora, cum fatis picta videre cupit:
Hæc legat: aspiciet tenebras per lumina: dicet.
Barbaries regnum querit ubiq; sibi.

IODOCVS VVILLICHIVS

Phil: & Medicinæ D.

ERRATA. A 2. ver: 7 iége suis. B 4. b ver: 6 9 tabes.
D 8 a ver. 8 propinant. E 5 a ver: 16 sole. Commata tran-
sposita & literas facile quiuis corrigere potest.

Fl 2450

ULB Halle

3


003 140 27X




IA 70L

MA







B.I.G.

Farbkarte #13

DE BAR(7)
B A R I E I M M I N E N -
T E S Y L V V L A O R A T I O N I S
recitatae à

Casparo Hofmano Philoso-
phiae & Medicæ artis Doctore,

*Cum honestis & eruditis aliquot viris
scholasticæ dignitatis tituli in Aca-
demia Francofordiana tri-
buerentur.*



FRANCOFORDIÆ AD ODERAM
IN OFFICINA IOHANNIS
EICHORN
Anno M. D. LXXVIII.

